

Sancta Birgitta

Reuelacionum liber primus

Prologus magistri Mathie

Incipit prologus in libro celesti reuelacionum Dei.

1 Stupor et mirabilia audita sunt in terra nostra. Mirabile siquidem erat, quod zelator legis, Moyses, igneam legem in ulcionem peccatorum de medio ignis zeli Dei audiret. Sed stupendius est, quod hodie humiles et mansueti spiritu vocem Iesu Christi, Dei et hominis, audiunt, ut olim Helias in sibili aure tenuis audivit. **2** Qui enim durissimum, ignarum et rudem populum zelo iusticie sue legi sue primum subdidit per timorem, nunc in lenitate misericordie populum utraque lege, scilicet veteri et noua, eruditum subdere disponit per amorem. Precesserat enim spiritus grandis terroris Dei, subuentans montes superborum et conterens petras induratorum cordium, et commocio penitencie, conturbantis mentes ad salutem, et ignis diuine dilectionis, in euangilio Christi coruscantis per eudentissima magne caritatis eius ad suos indicia, qui semetipsum pro eis tradidit in mortem, ne ipsi in eternum morerentur, et suorum ad ipsum, semetipsos pro gloria eius tradencium, ut sic quodammodo loquar. **3** In hoc igne Deus non secundum sue diuinitatis excellenciam sed secundum nostre seruitatis humilem condicionem apparuit, in qua mundum redemit.

Et sequitur iam sibilus lenitatis diuine misericordie, omnes propter preces et merita matris misericordie, virginis Marie, ab estu peccati ad auram placidissime misericordie conuocans. Et in hac aura Dominus, cui proprium est misereri, omnipotenciam sue diuinitatis in sublimitate maxime miserationis manifestat, ut inexcusabiles sint omnes, apparente diuino iudicio, qui misericordiam, tam leniter et dulciter exhibitam, contempserunt. **4** Vel numquid non inexcusabiliter dignus est iusticia diuini iudicii feriri, qui tam dulcibus verbis et operibus quam huius reuelacionis series continet oblatam sibi contempnit et respuit miserationem? **5** Quapropter preparent omnes animos, expandant omnes voluntatum suarum sinus, ut mensura misericordie bona, scilicet super meritum conferta, super speratum coagitata, super desiderium et omnem cogitationem supereffluens, per mediatricem Dei et hominum a filio suo, fonte scilicet omnis pietatis, infundatur. **6** Nec suspicio ulla fallacis spiritus mentibus ista legencium obrepatur. Non enim credendum est, quod spiritus malignus vel vere iustos decipiatur, vel peccatores in melius conuertat, vel caritatem, quam non habet, frigidis cordibus infundere queat, vel in aliquo gloriam Dei, cui inuidet, promoueat.

7 Sicut enim impossibile est, quod spiritus veritatis vel loquatur mendacium, vel a iusticia quemquam auertat, vel superbiam et inuidiam cordibus sibi subditis inspiret, vel omnipotentis Dei contemptum adducat, sic spiritui falsitatis opposita horum malorum propter inolitam ei malignitatem et nequitiam omnino sunt interdicta. **8** Aut si quis forte hec, vel aliquid horum bonorum, spiritui maligno possibilia esse ad faciendum contendat, consequens est, ut opposita horum spiritui benigno et sancto possibilia esse concedat. Et veniet ineuitabilis error, ut mala Deo et bona dyabolo tribuantur et iustorum princeps et rector credatur dyabolus, impiorum vero fautor et instigator Deus esse blasphemetur.

9 Quod si quis vere iustum discernere velit, ne per fucatam iusticiam decipiatur, sciat, quod a vere iusto relegata sunt: primum omnia vere mala, quantum ad eternam mortem operantur, scilicet luxuria, cupiditas et superbia; deinde eciam falsa bona, scilicet virtus vane glorie ad se ostentandum, vel pusillanimis ad iusticiam defendendum, vel amaro zelo feraens ad alios iudicandum, ut sic in iusticia sit humilis ex virtute, stabilis ex humilitate, tranquillus ex animi stabilitate. **10** Unde et vere iustus nec gloriam propriam querit, ut per hanc a dyabolo decipiatur, nec pusillanimitate a defensione iusticie recedit, ut per hoc a malignitate hominum vincatur, nec turbacionibus quibuscumque succumbit, ut status animi eius a recte racionis fundamento feroore impaciencie euertatur. **11** Non enim in hoc iustus non est quicumque, quod ei turbacio mentis accidit, si tamen turbacio eum a pacientie et ceterarum virtutum fundamento non euertit. Unde et Christus, cum ex tristitia et turbacione agonie mentis dixisset ad Patrem: "Transfer calicem hunc a me!", ostendens, quod turbacio illa animum suum a fundamento virtutum non euerterat, adiunxit: "Verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu."

12 Nec minus hoc quam, quod superius dictum est in preallegata figura, notare poterit. Spiritus enim grandis est vana gloria, que omnem virtutum eminentiam, que est in modum moncium, omnemque constanciam, que est ut firmitas petrarum, subuertit. Et terror comminacionum et consequencium commouet corda, ut cedant importunitatibus hominum. **13** Ignisque zeli exardescit in iusto, nondum virtute pacientie et mansuetudinis perfecto, contra peccatores, ut patet in Pharisaeo, qui de iusticia sua gloriabatur et indignacionis igne contra publicanum, sicut et Symon contra Magdalenam, feruebat. Sed non est in tali ferore Dominus, et ideo datur dyabolo temptandi et decipiendi locus.

14 Talia de sponsa Christi, quam sibi in huiusmodi gracie ministerium elegerat, suspicanda non sunt. Que, adhuc in coniugio viuens, maritum suum ad continencie perfectionem adduxit, ut multis annis simul sine exaccione et redditione debiti coniugalis viuerent. Iamque adhuc ligata matrimonio sobrietatem vidualem in victu et vestitu preferebat. Deuocioque cordis eius et oracionum instancia magnam in ea future religionis et gracie perfectionem premonstrabat. **15** Cumque iam a lege viri soluta esset, bona sua heredibus et pauperibus distribuens et a mundi retinaculis se expediens et Christum pauperem pauper sequens, nichil sibi nisi simplicissimum victimum et vestitum contemptibilem retinebat. Propter quod et eam, que omnem mundi consolacionem reiecerat, Christus mirandis consolacionibus et graciis visitabat. **16** In quibus omnibus non suam sed Dei gloriam querens, latere quidem ob humilitatis custodiam maluisset, nisi quantum ad proximorum salutem se per imperium spiritus, vel pocius Christi, in spiritu sibi apparentis, certis se personis manifestare iussa fuit. Optabatque obprobriis et contumeliis suis Christi cumulare gloriam. Veritate, mansuetudine et iusticia formam vite Christi in se exprimens, eciam a minimis et vilibus personis gratis et impune ledi sufferebat. **17** Quis talem vitam existimet ludibriis patere demonum Christumque tante impietatis arguere audebit, ut non tueretur in se sperantem et non se sed ipsum ex dilectionis eius plenitudine glorificantem? Vel numquid bonus sponsus castam coniugem et fidelem exponit adultero illudendam? **18** Cedat igitur temeritas stulti iudicii et detur locus glorie et gracie Dei, que tanto maior esse cognoscitur, quanto ignorancie et modice fidei nostre videtur incredibilior.

Quis enim, nisi eiusdem spiritus gracia preuentus, credere poterit, quod Christus, residens in celo, loquatur femine, in hac mortalitate adhuc degenti? **19** Sed sicut – ex ipsis Christi verbis accepimus –, cum aspiciuntur montes et silue, videtur celum eminentie eorum propinquum, licet non sit, sic et Christus, in celo regnans, spirituali visione propinquus videri poterit, quantumlibet corporali presencia remotus sit. Cuiusmodi visioni localis distancia nequit preiudicare. **20** O vere stupenda et superadmiranda apparicio et gracia et certe omni nacioni, que sub celo est, reuelanda, qua Christus,

tam grauiter flagiciis Christianorum Iesus, ut vix ulle reliquie seminis iusticie inueniantur, misericordiam exhibet ingratis et reos allicit ad veniam flagitandam! **21** Sane stupendior est hec apparicio illa, qua se per carnem monstrauit. Illa carnis superficiem carnalibus oculis ingessit, hec Deum et hominem spiritualibus oculis ingerit. **22** Per illam moriturus mortalibus loquebatur, per hanc semper victurus morituris, ut immortales fiant, loquitur. Per illam ambulans in terra in humanis diuina monstrabat, per hanc regnans in celo humana diuinis reconciliat. **23** In illa debitum iusticie moriendo pro nobis soluit, in hac indebito nobis peccatoribus misericordie munus largiri promittit.

24 Tam stupenda, inquam, est hec admirabilis apparicio, quod vix credi potest et a parua humani cordis capacitate comprehendi virtus tanti miraculi. Nam licet ipsa racio veritatem virtute plenam in ipsis verbis et operibus, que in apparitione hac audiuntur et experimento probantur, inueniat, infirmitas tamen ipsa non capit, quod racio audiencium verba et experiencium beneficia capiendum dicit. **25** Nam et ego ipse, qui hec scripsi, licet certissime michi de hoc spiritu per verba et opera plene veritas constiterit, vix tamen ipse capio, quod tamen omni acceptione dignissimum esse iudico. Nedum existimare queam, omnes hoc auditores credere posse, qui verba non audierunt et opera nescierunt. **26** Sicut et de Christi resurreccione dicitur, quod paulatim per multa argumenta monstrata est, quia totam simul nouitatem miraculi fragilia mortalium pectora capere non potuerunt, sic et in hoc miraculo Christum facturum credo: longiorum curriculo temporum magnitudinem miraculi multis virtutum argumentis notam facere, quam oculi cordis peccatorum, assueti tenebris, non possunt subito agnoscere.

27 Hoc tamen mentes omnium preparare ad faciliorem acceptacionem veritatis debet, quod tot verba totque miracula non aliam fidem predican, nisi quam Christus predicauit. Non nouum nobis Christum inducunt sed eundem, qui pro nobis passus fuit. **28** Nichil veritati, que in Christo est, subtrahunt aut addunt, sed misericordie, que tanto in eis habundancior ostenditur, quanto iam peccatorum miseria super id, quod umquam fuerat, cognoscitur maior. **29** Gracias ergo Patri misericordiarum et Deo tocius consolacionis agamus, qui in tot senescenis mundi miseriis tot misericordiis occurrit miseris, ne labantur in baratum desperacionis. **30** Qui enim sobrie et fideliter verba presentis libri, que respectu multorum pauca sunt, attendere voluerit, dubitare non poterit verba – non illius, que virtute vacua est, sed eius, que virtute plena est, veritatis – dici non potuisse nisi a spiritu veritatis. **31** Qui eciam opera eius probare voluerit, inueniet fidedignos testes, quibus operum veritatem, si voluerit, comprobabit.

32 Inicium autem huius reuelacionis facte ad predictam dominam, transmissum ad me, qui hunc prologum premisi, ut ceteris illud notum facerem, taliter a Christo assumebatur: **33** "Dyabolus tripliciter peccauit, scilicet superbia, eo quod ipsum bene creauit, cupiditate, qua michi non solummodo par sed et superior esse ambiuit, et voluptate, qua tantum diuinitatis mee gloria delectabatur, ut libenter, si potuisset, me occidisset, ut loco mei regnare potuisset. Et ob hoc de celo corruens, hiis tribus peccatis mundum repleuit et per ea humanum genus violauit. **34** Propter quod ego hominem assumpsi et in mundum veni, ut humilitate mea eius superbiam annichilarem, paupertate mea eius cupiditatem destruerem. Et grauissimam crucis penam subii, ut eius abhominabilem concupiscenciam exterminarem et homini sanguine cordis mei et morte mea celum aperirem, peccatis suis preclusum, si tamen ipse velit, quantum in ipso est, ad hec operari.

35 Sed nunc homines regni Suecie, specialiter illud hominum genus, quod curiale seu militare dicitur, peccant, sicut ante dyabolus peccauit. Superbiunt enim de pulchris corporibus, que eis dedi. Diuicias

ambiant, quas eis dare nolui. Abhominabili concupiscencia sic defluunt, ut, si eis possibile esset, magis me occiderent quam voluptatibus suis carere vellent, aut iudicium meum horribile, quod eis pro peccatis suis imminet, sustinerent. **36** Et ideo corpora illa, de quibus superbiantur, occidentur gladio, lancea et securi. Membra illa speciosa, de quibus gloriantur, bestie et volucres lacerabunt. Bona, que contra voluntatem meam congregant, alieni diripient et ipsi egebunt.

37 Propter abhominabiles autem voluptates suas Patri meo tantum displicant, quod eos admittere non dignatur ad faciei sue visionem. Et quia me, si possent, libenter occiderent, ipsi ad inferna manibus dyaboli tradentur, ab eo eterna morte occidendi. **38** Hoc autem iudicium diu ante regno Suecie superduxisse, nisi preces amicorum meorum, qui inter eos sunt, obsisterent, qui me ad misericordiam inclinant. Et ideo veniet tempus, quando eosdem amicos meos ad me colligam, ne videant mala, que illi regno superducam. Verumtamen aliqui amicorum meorum tunc viuent et videbunt in cumulum suorum meritorum. **39** Nunc igitur, quia reges et principes et prelati ex beneficiis meis me cognoscere nolunt, ut ad me veniant, ego pauperes, debiles, infantes et miserabiles personas congregabo, quibus loca eorum repleam, ne in exercitu meo ob eorum absenciam aliquis sit defectus.” **40** Cum autem persona, cui hec fiebat reuelacio, ingemiseret et iudicium nimis durum conquereretur, adiunxit Dominus: ”Quamdiu viuit homo, aditus celestis regni illi apertus est. Si ipsi nouerint mutare vitam, ego sentenciam noui mitigare.”

Incipit liber celestis reuelacionum Dei primus.

Verba Domini nostri Iesu Christi ad suam electam sponsam dilectissimam de certificacione sue excellentissime incarnacionis et de improbacione prophanacionis et fraccionis fidei nostre et baptismi et qualiter ad sui dilectionem inuitat prefatam dilectam sponsam. Capitulum I.

1 ”Ego sum creator celi et terre, unus in deitate cum Patre et Spiritu sancto, ego, qui prophetis et patriarchis loquebar et quem ipsi expectabant. Ob quorum desiderium et iuxta promissionem meam assumpsi carnem sine peccato et concupiscencia ingrediens viscera virginea tamquam sol splendens per lapidem mundissimum. Quia sicut sol vitrum ingrediendo non ledit, sic nec virginitas Virginis in assumptione humanitatis mee corrupta est. **2** Ego autem sic assumpsi carnem, ut non derelinquerem deitatem. Et non minor eram in deitate cum Patre et Spiritu sancto omnia regens et implens, licet in utero Virginis essem cum humanitate. Quia sicut splendor numquam separatur ab igne, sic deitas mea numquam ab humanitate separata est nec in morte. **3** Deinde corpus ipsum, mundissimum a peccato, pro peccatis omnium a planta pedis usque ad verticem lacerari volui et cruci affigi. Hoc eciam cotidie nunc in altari immolatur, ut tanto amplius me homo diligenter et frequenter beneficia mea recoleret. **4** Sed nunc ex toto oblitus et neglectus sum et contemptus et tamquam rex a proprio regno expulsus, in cuius loco latro pessimus electus est et honoratus.

5 In homine denique regnum meum esse volui, et super eum de iure rex et dominus esse deberem, quia feci eum et redemi. Sed nunc fregit et prophanauit fidem, quam michi promisit in baptismo, violauit et spreuit leges meas, quas ei proposui. Diligit voluntatem propriam et me audire contempnit. Insuper et pessimum latronem, dyabolum, super me exaltat et ei fidem suam dedit. **6** Qui vere latro

est, quia animam hominis, quam sanguine proprio redemi, ipse mala sugerendo et falsa pollicendo ad se rapit. Nec ideo rapit, quasi quod potencior me sit, cum ita sim potens, ut omnia possim verbo, ita iustus, ut nec minimum quid, eciam si omnes sancti rogarent, facerem contra iusticiam. Sed quia homo, libero arbitrio datus, voluntarie mandatis meis contemptis consentit dyabolo, ideo iustum est, ut homo tyrannidem eius experiatur. **7** Quia ipse dyabolus, a me bonus factus sed mala voluntate sua corruens, quasi meus seruus est ad vindictam malorum. Sed licet modo ita despectus sim, tamen ita misericors sum, ut, quicumque misericordiam meam pecierint et se humiliauerint, indulgeo eis, quod commiserant, et ab iniquo latrone liberabo eos. **8** Qui autem in contemptu meo perstiterint, visitabo super eos iusticiam meam ita, ut audientes contremiscent et, qui experientur, dicent: 'Ve, quia umquam nati et concepti fuimus, ve, quia umquam Dominum maiestatis ad iram prouocauimus!'

9 Tu autem, filia mea, quam elegi michi et cum qua spiritu meo loquor, dilige me toto corde, non sicut filium et filiam seu parentes, sed plus quam aliquid in mundo! Quia ego, qui creavi te, nulli membro meo peperci ad supplicium pro te. Et adhuc sic caritatue diligo animam tuam, ut, antequam ea carerem, adhuc iterum pro ea, si possibile esset, cruci affigerer. **10** Imitare humilitatem meam, quia ego, rex glorie et angelorum, pannis vilibus indutus fui, ad columpnam nudus stabam, omnia obprobria et derisiones audiui auribus meis. **11** Prepone eciam voluntatem meam voluntati tue, quia mater mea, domina tua, a principio usque ad finem numquam aliud voluit nisi quod ego. Si hoc feceris, tunc cor tuum erit cum corde meo et inflammabitur dileccione mea, quemadmodum aridum aliquid facile inflammatur ab igne. Anima tua implebitur de me, et ego ero in te, ita ut omnia temporalia fient tibi amara, omnis voluptas carnis quasi venenum. **12** Requiesces in brachiis deitatis mee, ubi nulla voluptas carnis sed gaudium et delectacio spiritus. Qua anima delectata interius et exterius plena est gaudio nec aliquid cogitat vel cupit nisi gaudium, quod habet.

13 Dilige ergo me solum, et omnia habebis, que velis, et abundabis. Numquid non scriptum est, quod oleum vidue non defecit, usquequo Dominus dedit pluuiam super terram iuxta verbum prophete? Ego sum verus propheta. Si verbis meis credideris et compleueris ea, oleum et gaudium et exultacio tibi non deficient usque in sempiternum."

Verba Domini nostri Iesu Christi ad filiam, in sponsam iam sibi assumptam, de vere fidei articulis et que sunt ornamenta et signa et voluntas, que sponsa respectu sponsi debeat habere. Capitulum II.

1 "Ego sum creator celi et terre, maris et omnium, que in eis sunt. Ego sum unus cum Patre et Spiritu sancto, non sicut dii lapidei vel aurei, ut olim dicebatur, nec plures, ut tunc putabatur, sed unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, trinus in personis, unus in substancia, omnia creans et a nullo creatus, immutabilis et omnipotens manens sine principio et sine fine. **2** Ego sum, qui de virgine natus sum, non amittens deitatem sed eam associans humanitati, ut in una persona essem verus filius Dei et filius virginis. Ego sum, qui in cruce pependi et mortuus fui et sepultus, deitate illesa permanente. Quia licet ex humanitate et carne, quam ego solus Filius assumpsi, mortuus fui, tamen in deitate, in qua cum Patre et Spiritu sancto unus eram Deus, viuebam. **3** Ego idem ipse sum, qui surrexi a mortuis et ascendi in celum, qui et nunc cum spiritu meo loquor tecum. Ego elegi te et assumpsi te michi in sponsam, ut ostendam tibi secreta mea, quia michi sic placet.

4 Tu eciam quodam iure facta es mea, cum in morte mariti tui voluntatem tuam in manus meas assignasti, cum eciam eo defuncto cogitasti et rogasti, quomodo pauper pro me esse posses, et voluisti omnia pro me relinquere. Et ideo de iure facta es mea. Et oportuit me pro tanta caritate tibi prouidere. Propterea assumo te michi in sponsam et in meam propriam delectacionem, qualem Deum decet habere cum anima casta.

5 Ad sponsam ergo pertinet paratam esse, quando sponsus voluerit nupcias facere, ut sit ornata decenter et munda. Tunc bene mundaris, si cogitacio tua sit semper circa peccata tua, quomodo te in baptismo de peccato Ade mundaui, quociens in peccata lapsam te supportauit et sustinui. **6** Debet eciam sponsa habere signa sponsi sui in pectore, hoc est attendere beneficia et opera, que pro te feci, scilicet quam nobiliter te creauit, tibi dando corpus et animam, quam nobiliter te ditaui, dando sanitatem et temporalia, quam dulciter te reduxi, cum pro te mortuus fui et hereditatem tibi restitui, si volueris habere.

7 Sponsa debet eciam facere voluntatem sponsi. Que est voluntas mea, nisi quod velis diligere me super omnia, nichil velle aliud nisi me? Ego creauit omnia propter hominem et subieci ei omnia, sed ipse omnia diligit preter me et nichil nisi me odit. Ego ei iterum emi hereditatem suam, quam perdidit, sed sic alienatus est et auersus a ratione, ut magis velit honorem istum transitorium, qui non est nisi spuma maris, ascendens quasi mons in momento et cicius in nichilum depressa, quam honorem eternum, in quo est perpetuum bonum.

8 Tu autem, sponsa mea, si nichil nisi me desideraueris, si omnia pro me contempseris, non solum filios et parentes, sed eciam honores et diuicias, ego dabo tibi stipendum preciosissimum et dulcissimum. Non aurum et argentum sed me ipsum dabo tibi in sponsum et premium, qui sum rex glorie. **9** Si autem erubescis esse pauper et despacta, considera, quia Deus tuus precedit te, quem serui et amici reliquerunt in terra, quia non amicos terrenos quesui, sed celestes. Quod si vereris et times pondus laboris et infirmitatis, considera, quam graue est ardere in igne! **10** Quid merereris, si aliquem dominum temporalem sicut me offendisses? Ego enim, quamuis te toto corde diligam, tamen contra iusticiam nec in uno puncto facio, quominus, sicut in omnibus membris deliquisti, sic et in omnibus satisfacias. **11** Propter voluntatem tamen bonam et propositum emendandi iusticiam in misericordiam commuto, remittendo grauiora supplicia pro modica emendacione.

12 Ergo amplectere libenter modicum laborem, ut mundata cicius ad magnum premium peruenias! Decet enim sponsam cum sponso fatigari laboribus, ut eo fiducialius cum eo requiescat.”

Verba Domini nostri Iesu Christi ad sponsam de informacione dilectionis et honoris sponse ad ipsum sponsum et de odio iniquorum ad Deum et de dilectione ad mundum. Capitulum III.

1 ”Ego sum Deus tuus et Dominus, quem colis. Ego sum ille, qui celum et terram potencia mea sustento, et non aliquibus rebus aliis sustentantur vel columpnis. Ego sum, qui sub specie panis in altari cotidie verus Deus et verus homo immolor. Ego idem sum, qui elegi te. **2** Honora Patrem meum! Dilige me! Obedi Spiritui meo! Defer matri mee tamquam domine tue! Honora omnes sanctos meos! Obserua fidem rectam, quam ille te docebit, qui duorum spirituum conflictum, falsitatis scilicet et veritatis, in se expertus auxilio meo deuicit! **3** Custodi humilitatem veram! Que est humilitas vera nisi laudem Deo pro bonis datis tribuere?

4 Sed nunc multi odiunt me et facta mea et verba reputant dolorem et vanitatem, adulterum autem, idest dyabolum, amplectuntur et diligunt. Quidquid enim faciunt pro me, cum murmure et amaritudine est. Nec confiterentur nomen meum, si non timore hominum confunderentur. **5** Mundum autem sic sincere diligunt, quod nocte et die in labore eius non lassescunt et in amore eius semper feruent. Horum seruicium sic michi placet, ac si quis daret inimico suo pecuniam ad hoc, ut interficiatur filius eius. **6** Sic faciunt ipsi. Dant enim michi modicam elemosinam et labiis honorant me ad hoc, ut mundana prosperitas eis succedat et maneant in honore et peccato suo. Unde occiditur bonus animus eorum a proficiendo in bono. **7** Si autem tu me diligere volueris toto corde et nichil desiderare nisi me, attraham te ad me per caritatem, sicut magnes, idest lapis calamite, attrahit sibi ferrum, et collocabo te in brachio meo, quod tam forte est, ut nullus possit extendere, tam rigidum, ut extensum nullus sufficit incuruare. Tam eciam dulce est, ut omnia aromata vincat et nullam comparacionem cum mundi delectacionibus habeat.”

Declaracio.

8 Iste fuit quidam sanctus vir, magister in theologia, qui vocabatur magister Mathias de Suecia, canonicus Lincopensis. Qui glosauit totam Bibliam excellenter. Et iste fuit temptatus a dyabolo subtilissime de multis heresibus contra fidem catholicam, quas omnes deuicit cum Christi adiutorio, nec a demone potuit superari, ut in legenda vite domine Birgitte hoc clarius continetur. **9** Et iste magister Mathias composuit prologum istorum librorum, qui incipit ”Stupor et mirabilia” etcetera. Fuit vir sanctus et potens spiritualiter opere et sermone.

10 Hic quando obiit in Suecia, sponsa Christi, tunc consistens Rome, orando audiuuit in spiritu vocem sic dicentem: ”O felix tu, magister Mathia, pro corona, que tibi in celis fabricata est. Veni igitur iam ad sapienciam, que numquam finietur!”

11 De eodem habetur eciam I° libro capitulo LII° B, item V° libro interrogacione ultima, responsione questionis IIIe D, item VI° libro capitulis LXXV° A et LXXXIX°.

Verba Domini nostri Iesu Christi ad sponsam, qualiter non beatum timere de sibi ab eo reuelatis nec cogitare, quod maligni spiritus sint. Et de doctrina cognoscendi bonum vel malignum spiritum.

Capitulum IV.

1 ”Ego sum creator tuus et redemptor. Quare timuisti de verbis meis? Et cur cogitasti, de quo spiritu essent, de bono an de malo? Dic michi, quid inuenisti in verbis meis, quod conscientia tua non dictabat tibi faciendum? Aut numquid aliquid precepi tibi contra rationem?” **2** Ad que sponsa respondit: ”Nequaquam, sed omnia illa sunt vera et ego male errauit.” Respondit spiritus seu sponsus: ”Ego precepi tibi tria, ex quibus tu posses cognoscere spiritum bonum. Precepi tibi honorare Deum tuum, qui te fecit, et omnia, que habes, dedit tibi. Hoc tibi dicit ratio tua, eum honorare pre omnibus. **3** Ego precepi tibi fidem tenere rectam, credere scilicet sine Deo nichil esse factum, sine Deo nichil posse fieri. **4** Precepi eciam tibi diligere continenciam rationabilem omnium rerum, quia mundus propter hominem factus est, ut homo eo ad necessitatem uteretur. Sic eciam per tria, istis contraria, potes cognoscere spiritum immundum. **5** Ipse enim suadet tibi laudem propriam querere et de datis tibi superbire. Ipse suadet eciam tibi perfidiam. Ipse suadet eciam tibi incontinenciam membrorum

omnium et rerum omnium et ad hec inflamat cor. **6** Ipse quoque quandoque decipit sub specie boni. Propterea precepi tibi semper discutere conscienciam tuam et sapientibus spiritualibus aperire eam.

7 Propterea non dubites tunc spiritum Dei bonum esse tecum, cum nichil aliud desideraueris nisi Deum et de eo tota inflammaris. Hoc ego solus possum facere, et impossibile est dyabolo appropinquare tibi. Sed nec alicui malo homini potest appropinquare, nisi permittatur a me, vel propter peccata vel propter aliquod occultum iudicium michi cognitum, quia ipse creatura mea est, sicut alia omnia, et a me bene factus fuit, sed malicia sua malus est, et ideo ego sum dominus super eum. **8** Ideo aliqui imputant michi falsam culpam, qui dicunt, quod illi, qui michi seruiunt ex nimia deuocione, dicuntur insanire et habere demonium. Ipsi similem me faciunt homini, qui, castam habens uxorem et in virum suum bene confidentem, supponit eam adultero. Talis ego essem, si hominem, iustum habentem ad me caritatis animum, dimitterem demoni tradi. **9** Sed quia fidelis sum, in nullius michi deuote seruientis anima dominabitur demon. Licet autem quandoque amici mei quasi amentes videntur, hoc tamen non est propter passionem demonii nec quia seruiunt michi ex feruenti deuocione sed propter defectum cerebri vel propter aliam occultam causam, que est illis ad humiliacionem eorum.

10 Potest eciam fieri quandoque, quod dyabolus accipit potestatem a me super carnem bonorum hominum ad eorum remuneracionem aut quod obumbret consciencias eorum, sed in animas eorum, qui in me habent fidem et delectacionem, numquam potest dominari.”

Verba maximi amoris Christi ad sponsam in figura mirabili de castro nobili, per quod Ecclesia militans designatur, et qualiter precibus gloriose Virginis et sanctorum adhuc Dei Ecclesia reedificabitur. Capitulum V.

1 ”Ego sum creator omnium, ego rex glorie et dominus angelorum. Ego fundauit michi castrum nobile et posui in eo electos meos. **2** Cuius fundamentum inimici mei perfoderunt et preualuerunt in amicos meos in tantum, quod de pedibus amicorum meorum, ligno, idest cippo, constrictis, exiit medulla. **3** Os eorum contunditur lapidibus et fame et siti cruciantur. Insuper et dominum eorum persecuntur. Iam amici mei petunt gemitibus auxilium, iusticia clamat vindictam, misericordia tamen dicit parcendum.”

4 Tunc et ipse Deus ait ad exercitum celestem, qui astabat: ”Quid videtur vobis de istis, qui castrum meum occupauerunt?” **5** Qui quasi una voce responderunt omnes: ”Domine, in te est omnis iusticia et in te omnia videmus. Tu existens sine principio et sine fine filius Dei, tibi datum est omne iudicium, tu iudex es eorum.” **6** Et ille ait: ”Licet omnia scitis in me et videtis, tamen propter hanc sponsam, que astat, dicite iudicium iustum!” Et illi dixerunt: ”Hec est iusticia, ut, qui suffoderunt murum, puniantur ut fures, et qui in malicia persistunt, puniantur ut inuasores, et qui captiui sunt, liberentur et famelici saturentur.”

7 Tunc loquebatur mater Dei, Maria, tacens in voce priori, dicens: ”Domine mi et fili carissime, tu fuisti in utero meo verus Deus et homo. Tu me, que eram vas terrenum, dignacione tua sanctificasti. Supplico: miserere eis adhuc semel!” **8** Tunc respondit Dominus ad matrem: ”Benedictum sit verbum oris tui! Hoc quasi odor suauissimus ascendit in deitatem. Tu angelorum et omnium sanctorum gloria

es et regina, quia a te deitas consolata est et omnes sancti letificati sunt. Et quia tua voluntas a principio iuuentutis tue erat sicut mea, ideo faciam adhuc semel, quod vis.” **9** Ad exercitum autem ait: “Quia vos viriliter certastis, ideo propter caritatem vestram placabor adhuc. Ecce, ego propter preces vestras reedificabo murum meum. **10** Saluabo et sanabo eos, qui vi oppressi sunt, et in centuplum honorificabo illos pro contumelia, quam passi sunt. Violentis autem, si misericordiam pecierint, pacem et misericordiam dabo. Qui autem contempserint, iusticiam meam sencient.”

11 Deinde ait ad sponsam: ”Sponsa mea, ego elegi te et induxi te in spiritum meum. Tu audis verba mea et sanctorum meorum, qui, licet omnia vident in me, tamen propter te locuti sunt, ut tu intelligeres, quia tu, que adhuc es in carne, non potes ita videre in me, sicut hii, qui spiritus sunt. **12** Nunc eciam ostendam tibi, quid ista significant. Castrum illud, quod supra dixi, est ipsa sancta Ecclesia, quam de sanguine meo et sanctorum meorum edificaui et cemento caritatis mee coniunxi, et posui in ea electos meos et amicos. **13** Fundamentum huius est fides, scilicet credere me iustum iudicem et misericordem. Sed nunc suffossum est fundamentum, quia omnes credunt me et predican misericordem, sed quasi nullus predicit nec credit me esse iuste iudicantem. **14** Ipsi habent me quasi iniquum iudicem. Iniquus enim esset iudex, qui ex misericordia dimitteret iniquos impunitos, ut iniqui iustos eo magis opprimerent. Sed ego sum iustus iudex et misericors, ita quod nec minimum peccatum relinquam impunitum nec minimum bonum irremuneratum. **15** Per huius muri suffossonem intrauerunt illi in Ecclesiam sanctam, qui absque timore peccant, qui me iustum esse negant et amicos meos sic conturbant, quemadmodum illos, qui sunt in cippo. Non enim est eisdem amicis meis gaudium nec consolacio, sed omne obprobrium et omnis dolor eis imponitur tamquam demoniacis.

16 Si veritatem de me dixerint, confutantur et mendacii arguuntur. Vehementer siciunt audire vel loqui recta, sed non est, qui eos audiat vel eis recta loquatur. **17** Ego quoque, Deus et creator, blasphemor. Dicunt enim: ’Nescimus, si est Deus. Et si est, non curamus.’ Vexillum meum prosternitur et conculcatur, dicentes: ’Quare passus est? Quid prodest nobis? Si velit dare nobis voluntatem nostram, sufficit nobis, et habeat ipse regnum suum et celum!’ Ego quoque ad eos ingredi volo, sed ipsi dicunt: ’Ante moriemur, quam voluntatem nostram relinquamus.’

18 Ecce, sponsa mea, quales ipsi sunt! Ego feci eos et uno verbo possem delere. Quomodo superbiunt contra me! Nunc autem propter preces matris mee et omnium sanctorum adhuc ita misericors sum et paciens, quod mittere eis volo verba mea, que de ore meo processerunt, et offerre eis misericordiam meam. **19** Si recipere voluerint, placabor, sin autem, sencent meam iusticiam ita, quod sicut fures publice coram angelis et hominibus confundentur et ab omnibus diiudicabuntur. Sicut enim homines, in furca suspensi, deuorantur a coruis, sic isti a demonibus deuorabuntur nec consumentur. **20** Sicut eciam illi, qui puniuntur in cippo ligneo, nullam requiem inueniunt ibidem, sic isti habebunt undique dolorem et amaritudinem. Fluuius ardentissimus fluet in os eorum nec implebitur venter, sed ad supplicium de die in diem renouabuntur. **21** Amici autem mei saluabuntur et de verbis, que procedunt de ore meo, consolabuntur. Iusticiam meam cum misericordia videbunt. Induam eos armis caritatis mee et sic fortes eos faciam, quod aduersarii fidei cadent retrorsum quasi lutum et erubescere perpetuo, cum videbunt iusticiam meam, ex eo quod pacienza mea abusi sunt.”

*Verba Christi ad sponsam, qualiter eius spiritus cum iniquis esse non potest, et de separacione
malorum a bonis et de missione bonorum, spiritualibus armis armatorum, in bellum, idest contra
mundum. Capitulum VI.*

1 "Inimici mei sunt quasi bestie ferocissime: numquam saciari possunt nec requiescere. Horum cor sic est vacuum a caritate mea, quod numquam in eo intrat cogitacio passionis mee. Numquam semel adhuc processit de intimo corde eorum hoc verbum: 'Domine, redemisti nos, laus sit tibi pro amara passione tua!' Quomodo spiritus meus potest esse cum eis, qui nullam diuinam caritatem habent ad me, qui, ut voluntatem suam perficiant, libenter produnt alios? **2** Ipsorum cor plenum est veribus vilissimis, idest affectionibus mundi. In ore eorum posuit dyabolus stercus suum, et ideo non placent eis verba mea. Ideo ego separabo eos ab amicis meis cum seca mea. Et sicut non est mors ulla morte sece amarior, sic non est supplicium, quo non participes fiant, et secabuntur per medium a dyabolo et diuidentur a me. Sic sunt odiosi michi, quod eciam omnes, qui adherent eis, separabuntur a me. **3** Ideo mitto amicos meos, ut diuidant dyabolas a membris meis, quia ipsi vere sunt inimici mei. Mitto ergo eos quasi milites in bellum. Omnis enim, qui affligit carnem suam et abstinet se ab illicitis, vere miles meus est. **4** Ipsi habebunt pro lancea verba mea, que ore meo locutus sum, in manu gladium, idest fidem, in pectore eorum erit lorica caritatis, ut, quidquid acciderit, non minus diligent me. Clipeum pacientie debent habere ad latus, ut omnia pacienter sustineant. Ego enim inclusi eos quasi aurum in vase, et nunc exire debent et incedere viam meam.

5 Ego non poteram ingredi secundum iusticiam ordinatam in gloriam maiestatis absque tribulacione cum humanitate mea. Quomodo ergo ipsi intrabunt? Si Dominus eorum paciebatur, non mirum, si et ipsi paciantur. Si Dominus sustinuit verbera, non magnum, si ipsi sustinebunt verba. Non timeant, quia ego numquam relinquo eos. Sicut impossibile est dyabolo cor Dei tangere et diuidere, sic impossibile est dyabolo separare eos a me. **6** Et quia ipsi sunt quasi aurum purissimum in conspectu meo, ideo, si modico igne probentur, non tamen relinquo eos, sed est ad eorum maiorem remuneracionem."

*Verba Virginis gloriose ad filiam de modo induendi et qualia debent esse vestimenta et ornamenta,
quibus debet esse ornata filia et induta. Capitulum VII.*

1 "Ego sum Maria, que peperi verum Deum et verum hominem, filium Dei. Ego sum regina angelorum. Filius meus diligit te toto corde. Ideo dilige tu eum! Tu debes esse ornata honestissimis vestibus. Que quomodo et quales debeat esse, monstrabo tibi. **2** Sicut enim tu prius habuisti camisiam, inde tunicam, calceos, pallium et monile in pectore, sic nunc spiritualiter habere debes. Camisia est contricio. Sicut enim camisia propinquior est carni, sic contricio et confessio prima via est conuersionis ad Deum. Qua mens, que gaudebat in peccato, mundatur et caro sordida refrenatur. **3** Calcei duo sunt duo affectus, voluntas scilicet emendandi commissa et voluntas faciendi bona et abstinenti a malis. Tunica tua est spes ad Deum, quia sicut tunica habet duas manicas, sic in spe sit iusticia et misericordia, ut sic speres de misericordia Dei, quod non negligas iusticiam eius. Et sic cogita iusticiam eius et iudicium, ut non obliuiscaris misericordiam, quia nec iusticiam aliquam facit sine misericordia nec misericordiam sine iusticia.

4 Pallium est fides. Sicut enim pallium omnia operit et omnia in eo concluduntur, sic fide homo omnia potest comprehendere et attingere. Hoc pallium debet esse respersum signis caritatis sponsi tui, quomodo scilicet creauit te, quomodo redemit te, quomodo enutriuit te et induxit te in spiritum suum et aperuit tibi oculos spirituales. **5** Monile est consideracio passionis eius. Hoc sit iugiter fixum in pectore tuo, quomodo derisus et flagellatus, quomodo sanguinolentus et omnibus neruis confossis viuus stabat in cruce, quomodo in morte ex passione doloris acutissimi totum corpus contremuit, quomodo in manus Patris commendabat spiritum. Hoc monile semper sit in pectore tuo. **6** Corona sit in capite tuo, idest castitas in affectu, ut malles pati verbera quam inquinari amplius. Inde sis verecunda et honesta. Nichil cogita, nichil desidera nisi Deum tuum, creatorem tuum, quem cum habueris, omnia habes. Et sic ornata expectabis sponsum tuum.”

Verba celi regine ad filiam dilectam, informancia, qualiter Filium una cum matre debeat diligere et laudare. Capitulum VIII.

1 ”Ego sum regina celi. Tu sollicita es, quomodo laudare me debes. Scias pro certo, quod omnis laus filii mei laus mea est. Et qui inhonorat eum, inhonorat me, quia ego sic feruenter dileyxi eum et ipse me, quod quasi unum cor ambo fuimus. Et ipse me, que eram vas terrenum, sic honorifice honorauit, ut supra omnes angelos me exaltaret. **2** Sic ergo laudare debes me: ’Benedictus sis tu, Deus, creator omnium, qui in uterum Marie virginis descendere dignatus es. Benedictus sis tu, Deus, qui cum Maria virgine esse sine grauamine voluisti et de ea immaculatam carnem sine peccato sumere dignatus es. Benedictus sis tu, Deus, qui ad virginem cum gaudio anime eius et omnium membrorum venisti et cum gaudio omnium membrorum eius sine peccato de ea processisti. **3** Benedictus sis tu, Deus, qui Mariam virginem, matrem tuam, post ascensionem tuam crebris consolacionibus letificasti et per te ipsum eam consolando visitasti. Benedictus sis tu, Deus, qui corpus et animam Marie virginis, matris tue, in celum assumpsisti et super omnes angelos iuxta deitatem tuam honorifice collocasti. Miserere mei propter preces eius!””

Verba regine celi ad dilectam de amore dulcissimo, quem Filius habuit ad matrem virginem, et qualiter ex coniugio castissimo Christi mater fuerit concepta et in utero sanctificata, et qualiter assumpta fuerit in corpore et anima in celum, et de eius nominis virtutibus et de angelis, bono et malo, hominibus deputatis. Capitulum IX.

1 ”Ego sum regina celi. Dilige filium meum, quia ipse honestissimus est, et cum eum habueris, omnem honestatem habes. Ipse est eciam desiderantissimus, et cum eum habueris, omnia desiderabilia habes. Dilige eciam eum, quia ipse est virtuosissimus, et cum eum habueris, omnes virtutes habes. **2** Ego volo tibi dicere, quam dulciter ipse dileyxit corpus meum, quam dulciter animam meam, quantum eciam honorauit nomen meum. Ipse filius meus prius me dileyxit quam ego eum, quia creator meus est. Ipse coniugium patris mei et matris tanta castitate coniunxit, ut tunc non inueniretur castius coniugium et numquam conuenire vellent nisi iuxta legem, solummodo causa suscitandi prolem. **3** Et cum sibi nunciatum esset ab angelo, quod Virginem parerent, unde salus mundi procederet, magis voluissent mori quam carnali amore conuenire, et voluptas in eis mortua erat. Tamen pro certo dico tibi, quod ex

caritate diuina et ex verbo angeli annunciantis conuenerunt carne, non ex concupiscencia aliqua voluptatis sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione, et sic ex semine eorum per diuinam caritatem caro mea compaginata est. **4** Facto autem corpore meo Deus a diuinitate sua animam creatam immisit corpori, et mox anima cum corpore sanctificata est, quam angeli custodiebant et seruabant die ac nocte. Cum autem anima sanctificaretur et corpori coniungeretur, tanta matri mee aduenit leticia, ut impossibile esset dictu. Deinde completo cursu vite mee, primo animam meam, quia ipsa domina erat corporis, ad deitatem excellencius ceteris eleuauit, inde corpus meum, ut nullius creature corpus sit tam propinquum Deo sicut meum. **5** Ecce quantum filius meus dilexit animam meam et corpus! Sed aliqui sunt, qui maligno spiritu negant me assumptam corpore et anima, aliqui eciam, qui nesciunt melius. Sed ista est pro certissimo rei veritas, quod cum corpore et anima ad deitatem assumpta sum. **6** Filius meus quantum eciam honorauit nomen meum, audi! Nomen meum est Maria, sicut legitur in euangelio. Hoc nomen cum angeli audiunt, gaudent in conscientia sua et regraciantur Deo, qui per me et tecum talem graciā fecit, et quod vident ipsi humanitatem filii mei in deitate glorificatam. **7** Illi, qui in purgatorio sunt, ultra modum gaudent tamquam eger, in lecto iacens, si audierit ab aliquibus verbum solacii et quod ei placet in animo, quod statim exultat.

8 Angeli eciam boni auditō hoc nomine statim appropinquant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiā, et gaudent de profectu eorum, quia omnibus hominibus angeli boni dati sunt ad custodiā et angeli mali ad probacionem. Non sic, quod ipsi angeli separentur a Deo, sed anime sic seruiunt, ut non relinquant Deum, sed iugiter sunt in conspectu eius et tamen inflammant et incitant animam ad agendum bonum. **9** Omnes eciam demones verentur hoc nomen et timent. Qui, audientes hoc nomen Maria, statim relinquunt animam de unguibus, quibus tenebant eam. Sicut enim ausi, que in predam unguis et rostrum habet, si audierit sonum aliquem, relinquit predam, et cum nichil operis sequi videt, statim reuertitur ad eandem, sic demones auditō nomine meo statim relinquunt animam quasi territi, sed iterum aduolant et reuertuntur ad eam quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendacio subsequatur.

10 Nullus eciam tam frigidus ab amore Dei est, nisi sit dampnatus, si inuocauerit hoc nomen hac intencione, ut numquam reuerti velit ad opus solitum, quod non discedat ab eo statim dyabolus, et numquam amplius reuertitur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter. Tamen quandoque permittitur ei turbare eum propter maiorem remuneracionem eius, sed non possidere.”

Verba virginis Marie ad filiam, utilem doctrinam, qualiter viuere debeat, ponencia et multa mirabilia

Christi passionis declarancia. Capitulum X.

1 ”Ego sum regina celi, mater Dei. Ego dixi tibi, quod habere debeas monile in pectore tuo. Nunc plenius monstrabo tibi, quod ego a principio, cum audirem et intelligerem Deum esse, semper sollicita et timorata fui de salute et obseruancia mea. Cum autem audissem plenius ipsum Deum esse creatorem meum et iudicem de omnibus actibus meis, intime dilexi eum et omni hora timui et cogitavi, ne eum verbo vel facto offenderem. **2** Deinde cum audissem eum dedisse legem populo et precepta sua et fecisse cum eis tanta mirabilia, proposui firmiter in animo meo nichil nisi ipsum diligere, et amara michi erant mundana vehementer. Post hec auditō eciam, quod ille idem Deus redempturus esset mundum et nasciturus de virgine, tanta circa eum caritate affecta fui, quod nichil nisi Deum cogitabam, nichil volebam nisi ipsum. **3** Ego elongauī me, quantum potui, a colloquiis et

presencia parentum et amicorum et omnia, que habere potui, dedi indigentibus. Nichil nisi victum tenuem et vestitum reseruaui. Nulla michi nisi Deus placuerunt. Ego semper in corde meo optaui, ut viuerem ad tempus natuitatis eius, si forte fieri mererer ancilla indigna matris Dei. Vouli eciam in corde meo, si esset ei acceptabile, obseruare virginitatem, nichil umquam possidere in mundo. **4** Si autem aliter vellet Deus, fieret voluntas eius, non mea, quia credebam eum omnia posse et velle nichil nisi michi utile. Ideo ei omnem voluntatem meam commisi.

5 Instante vero tempore, quo secundum constitutionem virgines presentabantur in templo Domini, affui et ego inter eas propter obedienciam parentum meorum, cogitans tecum Deo nichil esse impossibile. Et quia ipse sciebat me nichil desiderare, nichil velle nisi se, posset me seruare in virginitate, si ei placeret; sin autem, fieret voluntas eius. **6** Auditis autem omnibus, que mandata erant in templo, regressa domum ampliori quam prius ardebam amore Dei et nouis cotidie inflammabar estibus et desideriis amoris. Propterea plus solito ab omnibus me elongauit et fui sola noctibus ac diebus, timens vehementissime, ne os loqueretur vel auris audiret aliqua contra Deum meum, vel ne oculi mei viderent aliqua delectabilia. Timida quoque fui in silencio et multum anxia, ne forte silerem ea, que magis loqui debuissem.

7 Cumque sic turbarer in corde sola tecum spemque omnem meam committerem Deo, illico venit in mentem meam cogitare Dei magnam potentiam, quomodo ei seruunt angeli et omnia creata, qualis gloria eius est, que est ineffabilis et interminabilis. **8** Et cum hec mirarer, vidi tria mirabilia. Vidi namque sydus, sed non quale fulget de celo. Vidi lumen, sed non quale lucet in mundo. Sensi odorem, sed non qualis herbarum vel aliquid tale, sed suauissimum et vere ineffabilem, quo tota replebar et pre gaudio exultabam. Inde statim audiui unam vocem, sed non de ore humano. Et ea audita satis timui, reputans, ne forte esset illusio. **9** Et statim apparuit ante me angelus Dei quasi homo pulcherrimus, sed non carne vestitus, qui dixit ad me: 'Aue, gracia plena!' etcetera. Quod cum audisset, mirabar, quid significaret hoc, vel cur talem proferret salutationem. Sciebam enim me et credebam dignam ad aliquid tale vel ad aliquid boni, Deo tamen non esse impossibile facere, quidquid vellet. **10** Tunc secundo angelus ait: 'Quod nascetur in te, sanctum est, et vocabitur filius Dei, et sicut ei placuerit, sic fiet.' Nec tamen credebam me dignam nec quesui ab angelo: 'Quare' vel 'Quando fiet?', sed quesui: 'Quomodo fiet, quod ego indigna sim mater Dei, que et virum non cognosco?' Et respondit michi angelus, sicut dixi, Deo nichil esse impossibile sed 'Quidquid ipse vult facere, fiet' etcetera.

11 Quo verbo angeli audito, feruentissimum affectum habui esse mater Dei, et loquebatur anima mea pre amore: 'Ecce ego, fiat voluntas tua in me!' Ad quod verbum illico concipiebatur filius meus in utero meo cum ineffabili exultacione anime mee et omnium membrorum. **12** Cumque haberem eum in utero, portabam eum sine dolore, sine grauedine et tedio ventris. Humiliabam me in omnibus, sciens eum esse omnipotentem, quem portabam. Quando vero peperi eum, sine dolore et peccato peperi eum, sicut et concepi, cum tanta anime et corporis exultacione, quod pedes mei pre exultacione non senciebant terram, ubi stabant. Et sicut in omnia membra mea cum gaudio tocius anime mee intravit, sic cum gaudio omnium membrorum exultante anima ineffabili gaudio sine lesione virginitatis mee exiuit.

13 Cumque conspicerem et considerarem pulchritudinem eius, anima mea quasi rorem pre gaudio stillabat, sciens me dignam ad talem filium. Quando vero considerabam loca clauorum in manibus et pedibus, quos secundum prophetas crucifigendos audiui, tunc oculi mei replebantur lacrimis et cor meum quasi scindebatur pre tristitia. Et tunc filius meus inspexit oculos meos lacrimantes et

tristabatur quasi ad mortem. **14** Cum vero considerarem potentiam deitatis eius, consolabar iterum, sciens, quod ipse sic vellet et sic expediret, et omnem voluntatem meam conformauit voluntati eius. Et sic semper erat leticia mea mixta cum dolore.

15 Instante tempore passionis filii mei, rapuerunt eum inimici eius, percuentes eum in maxilla et collo et conspuentes illuserunt ei. Deinde ductus ad columpnam, personaliter se vestibus exuit et personaliter manus ad columpnam applicuit, quas inimici sine misericordia ligauerunt. **16** Alligatus autem nichil omnino operimenti habebat sed, sicut natus est, sic stabat et paciebatur erubescenciam nuditatis sue. Consurrexerunt autem inimici eius, qui, fugientibus amicis suis, undique astabant et flagellabant corpus eius, ab omni macula et peccato mundum.

17 Ad primum igitur ictum ego, que astabam propinquius, cecidi quasi mortua et resumpto spiritu vidi corpus eius verberatum et flagellatum usque ad costas, ita ut eius coste viderentur. Et, quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsius flagellis sulcabantur. **18** Cumque filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, ut in eo non inueniretur sanitas nec quid flagellaretur, tunc unus concitato in se spiritu quesivit: 'Numquid interficietis eum sic iniudicatum?' Et statim secuit vincula eius. **19** Inde filius meus induit se vestibus suis. Tunc locum, ubi stabant pedes filii mei, totum repletum vidi sanguine, et ex vestigiis filii mei cognoscebam incessum eius. Quo enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine. **20** Nec ipsi paciebantur, ut se indueret, sed compulerunt et traxerunt eum, ut acceleraret. Cum autem duceretur quasi latro, ipse filius meus extersit sanguinem ab oculis suis. Cumque iudicatus esset, imposuerunt sibi crucem portandam. Quam cum ad modicum portasset, veniens unus assumpsit eam sibi portandam. **21** Interim eunte filio meo ad locum passionis, alii percusserunt eum in collo, alii in faciem cederunt. Et tam fortiter et valenter percussus est, ut, licet ego non viderem percipientem, audiui tamen clare sonitum percussionis. Cumque venissem cum eo ad locum passionis, omnia instrumenta vidi ibi preparata ad mortem suam. Et ipse filius meus veniens ibi exuit se personaliter vestibus suis, ministris inter se dicentibus: 'Hec vestimenta nostra sunt nec ea rehabet, quia dampnatus est ad mortem.' **22** Stante autem filio meo, sicut natus erat, nudo corpore, unus tunc accurrens apportauit sibi velamen, quo ipse exultans intime velabat verecundiora sua. Postea rapuerunt eum seu tortores et extenderunt in cruce, primo dexteram manum eius affigentes stipiti, qui pro clavis perforatus erat. Et manum ipsam ex ea parte perforabant, qua os solidius erat. Inde trahentes cum fune aliam manum eius, ad stipitem eam simili modo affixerunt. **23** Deinde dexterum pedem cruciferunt et super hunc sinistrum duobus clavis ita, ut omnes nerui et vene extenderentur et rumperentur. Quo facto aptauerunt coronam de spinis capiti eius, que tam vehementer reuerendum caput filii mei pupugit, ut ex sanguine fluente replerentur oculi eius, obstruerentur aures et barba tota decurrente sanguine deturparetur. Cumque sic sanguinolentus et perforatus staret, condolens michi astanti et gementi, respexit sanguinolentis oculis ad Iohannem, sororium meum, et me commendabat ei.

24 In tempore illo audiui alios dicentes, quod filius meus latro erat, alios, quia mendax, alios, quod nullus dignior esset morte quam filius meus. Ex quorum auditu dolor meus renouabatur. Sed, sicut dictum est, cum primus clavis infigeretur ei, ego ad primum ictum conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus. Et non respexi pre amaritudine, antequam ex toto affixus erat. **25** Surgens vero vidi filium meum miserabiliter pendentem, et ego, mater eius mestissima, undique consternata, pre dolore vix stare potui. Filius autem meus, videns me et amicos suos inconsolabiliter flentes, flebili voce et alta clamabat ad Patrem suum, dicens: 'Pater, quare me dereliquisti?' quasi diceret: 'Nullus est, qui misereatur mei nisi tu, Pater.' **26** Tunc oculi eius

apparuerunt semimortui, maxille eius submerse et vultus lugubris, os eius apertum et lingua sanguinolenta, venter dorso inherens consumpto humore, quasi non haberet viscera, omne corpus pallidum et languidum ex fluxu et egressione sanguinis. Manus et pedes eius rigidissime extenti erant et iuxta formam crucis cruci attracti et conformati. Barba et crines ex toto respersi sanguine. **27** Itaque cum filius meus sic laceratus et liuidus staret, solum cor recens erat, quia optime et fortissime nature erat. De mea enim carne corpus mundissimum et optime complexionatum sumpsit. **28** Cutis eius sic tenera et gracilis erat, quod numquam sic leuiter flagellabatur, quin statim exiret sanguis. Ipse quoque sanguis eius tam recens erat, ut in cute munda videri posset. Et quia optime nature erat, vita cum morte in corpore eius perforato certabat. **29** Nam quandoque dolor de membris et nerius corporis perforatis ad cor ascendebat, quod recentissimum erat et incorruptum, et incredibili dolore et passione vexabat ipsum. Et quandoque dolor a corde in membra lacerata descendebat et sic mortem prolongabat cum amaritudine.

30 Cumque filius meus hiis doloribus circumseptus respexisset ad amicos suos flentes, qui maluissent illam penam in se cum auxilio eius pertulisse vel in eternum in inferno ardere quam eum sic videre cruciari, dolor ille ex amicorum dolore omnem amaritudinem et tribulacionem, quam vel in corpore vel in corde sustinuit, excedebat, quia tenere diligebat eos. Tunc pre nimia corporis angustia ex parte humanitatis clamabat ad Patrem: 'O Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.' **31** Hanc igitur vocem cum audissem ego, eius mestissima mater, contremuerunt omnia membra mea cum amaro cordis mei dolore. Et quociens postea hanc vocem cogitabam, quasi in aure mea presens et recens erat. Appropinquante autem morte, cum cor pre violencia dolorum rumperetur, tunc omnia membra contremuerunt et caput eius quasi modicum se erigens inclinabatur, os eius apertum videbatur et lingua tota sanguinolenta. **32** Manus eius retraxerunt se modicum de loco perforacionis et pondus corporis pedes amplius sustentabant. Digi et brachia quodammodo extendebant se et dorsum fortiter stringebatur ad stipitem.

33 Tunc quidam dixerunt ad me: 'Maria, filius tuus mortuus est.' Alii autem dixerunt: 'Mortuus est sed resurget.' Omnibus itaque discedentibus, unus adueniens affixit lanceam in latus eius tam valide, ut pene per aliud latus eius transiret. Et cum extraheretur hasta, apparuit cuspis rubea sanguine. Tunc michi videbatur, quod quasi cor meum perforaretur, cum vidi sem cor filii mei carissimi perforatum. **34** Deinde depositus est de cruce. Quem ego recepi in genu meum quasi leprosum et totum liuidum. Nam oculi eius erant mortui et sanguine pleni, os frigidum quasi nix, barba quasi restis, facies contracta. Manus quoque sic diriguerant, quod non possent deponi nisi circa umbilicum. Sicut stetit in cruce, sic habui eum in genu quasi hominem contractum in omnibus membris.

35 Postea posuerunt eum in linteo mundo, et ego cum linteo meo extensi vulnera et membra eius et clausi oculos et os eius, que in morte fuerant aperta. **36** Deinde posuerunt eum in sepulchro. O quam libenter tunc posita fuisse viua cum filio meo, si fuisset voluntas eius!

37 Hiis completis venit ille bonus Iohannes et duxit me in domum. Ecce, filia mea, talia sustinuit filius meus pro te!"

*Verba Christi ad sponsam, qualiter se tradidit spontanee suis inimicis crucifixoribus, et de modo
viuendi in continencia omnium membrorum ab illicitis motibus exemplo sue dulcissime passionis.*

Capitulum XI.

1 Filius Dei loquebatur ad sponsam dicens: "Ego sum creator celi et terre, et corpus meum verum est, quod in altari consecratur. Dilige me toto corde, quia ego dilexi te et ego spontanee tradidi me inimicis meis, et remanserunt amici mei et mater mea in amarissimo dolore et fletu. **2** Cumque viderem lanceam, clausos, flagella et alia passionis genera parata, processi nichilominus letus ad passionem. Cumque caput meum esset undique corona cruentatum et undique sanguis flueret et eciamsi adhuc inimici tetigissent cor meum, magis hoc paterer diuidi et vulnerari, quam te carere vellem. **3** Propterea nimis ingrata es, si me pro tanta caritate non dilexeris. Si enim caput meum punctum est et inclinatum in cruce pro te, caput tuum debet inclinari ad humilitatem. Et quia oculi mei erant sanguinolenti et pleni lacrimis, ideo oculi tui debent abstinere a delectabili visu. Et quia aures mee implebantur sanguine et audiebant verba detractionis mee, idcirco aures tue auertantur a scurrilibus et ineptis locucionibus. **4** Quia eciam os meum potatum est amarissima potacione et prohibitum a bona, ideo os tuum obstruatur a malis et aperiatur ad bona. Et quia manus mee extense sunt cum clavis, propterea opera tua, que figurantur in manibus, extendantur ad pauperes et ad precepta mea. **5** Pedes tui, idest affectus tui, quibus ad me ire debes, crucifigantur a voluptatibus, ut, sicut in omnibus membris passus sum ego, sic omnia membra tua parata sint ad obsequium meum. Quia maius seruicium exigo a te quam ab aliis, quia maiorem gratiam feci tibi."

*Qualiter angelus rogat pro sponsa et qualiter Christus querit ab angelo, quid est, quod querit pro
sponsa, et quid expedit sponse. Capitulum XII.*

1 Angelus bonus, custos sponse, videbatur rogare Christum pro eadem sponsa. Cui respondit Dominus dicens: "Qui rogare voluerit pro alio, salutem eius rogare debet. Tu enim es quasi ignis, qui numquam extinguitur, ardens caritate mea incessanter. Tu vides et scis omnia, cum vides me. Tu nichil vis, nisi quod ego. Dic ergo michi, quid isti mee noue sponse expedit!" **2** Et ille respondit: "Domine, tu scis omnia." Cui Dominus ait: "Omnia quidem, quecumque facta et futura sunt, eternaliter sunt in me, et omnia in celo et in terra noui et scio, nec mutacio est apud me, tamen, ut ista sponsa intelligat voluntatem meam, dic modo ipsa audiente, quid ei expedit!" **3** Et angelus ait: "Elatum habet cor et magnum. Propterea necessaria est ei virga, ut edometur." Et tunc ait Dominus: "Quid igitur petis ei, amice mi?" Et ille: "Domine, peto misericordiam cum virga tua." Et Dominus ait: "Propter te hoc faciam ei, qui numquam facio iusticiam sine misericordia. Ideo diligere me hec sponsa debet toto corde."

*Qualiter inimicus Dei habet tres demones in se et de iudicio contra ipsum a Christo illato. Capitulum
XIII.*

1 "Inimicus meus habet in se tres demones. Primus sedet in genitalibus, secundus in corde, tertius in ore. Primus est quasi nauta, qui facit aquam per carinam intrare, que paulatim inde crescendo replet

nauem. Inde supereffluit aqua et nauis submergitur. **2** Hec nauis est corpus suum, temptationibus demonum et cupiditatibus suis quasi procellis agitatum, in quod voluptas sua primo intravit per carinam, idest delectacionem, qua delectabatur talibus cogitationibus. Et quia non resistebat per penitenciam nec consolidabat clavis abstinencie, crescebat cotidie aqua voluptatis adhibendo consensum. Inde completa seu repleta naue ventris concupiscencia, effluebat aqua et operiebat nauem voluptate, ne veniret ad portum salutis. **3** Secundus demon, qui sedet in corde, est similis vermi iacenti in pomo, qui nucleus pomi primo comedit, inde, relictis ibi stercoribus suis, perugatur totum pomum, donec totum fiet inane. Sic dyabolus facit. Primo viciat voluntatem eius et desideria bona, que sunt quasi nucleus, unde omne robur mentis et bonum subsistit, et, euacuato corde ab istis bonis, tunc relinquit pro eis in corde cogitationes et affectiones mundi, quas magis dilexit. **4** Nunc impellit ipsum corpus ad quod ei placet, et ex hoc minuitur ei fortitudo et intelligencia et accedit tedium vite. Ipse certissime est pomum sine nucleo, idest homo sine corde, quia sine corde intrat Ecclesiam meam, quia diuinam caritatem nullam habet.

5 Tercius demon est similis sagittario, qui, per fenestras circumspiciens, sagittat incertos. Quomodo non demon sedet in eo, qui numquam loquitur sine eo? Quod enim magis diligitur, frequencius nominatur. Verba sua amara, quibus alios vulnerat, sunt quasi iacula, que per tota fenestras emittuntur, quociens nominatur dyabolus, quociens innocentia per verba eius vulnerantur, quociens simplices ex verbis eius scandalizantur. **6** Ideo in veritate mea, qui sum veritas, iuro, quod iudicabo eum sicut meretricem ad ignem sulphureum, sicut proditorem et insidiatorem ad omnium membrorum incisionem et sicut Domini sui contemptorem ad perpetuam confusionem. Verumptamen quamdiu anima et corpus insimul sunt, misericordia mea aperta est super eum. **7** Hoc est autem, quod requiro ab eo, scilicet ut frequencius intersit diuinis, nullum timeat obprobrium et nullum concupiscat honorem, et ut numquam nominetur in ore suo nomen sinistrum.”

Declaracio.

8 Hic prior ordinis Cisterciensis sepeliuit excommunicatum. Cumque legisset ultimam commendacionem pro eo, domina rapta in spiritu audiuit: ”Iste fecit, ut potuit, et sepeliuit. **9** Iam scito pro certissimo, quod ipse post istum mortuum primus sepelietur. Nam peccauit in Patrem, qui dixit non esse acceptorem personarum nec honorare vultum diuitis contra iusticiam. Hic vero propter modicum corruptibilem honorauit indignum et locauit, ut non debuit, inter dignos. **10** Peccauit eciam in Spiritum meum, qui est communio et communicatio iustorum, quando iniustum sepeliuit cum iustis. Peccauit et in me, Filium, quia ego dixi: ”Qui me spernit, spernetur.” Iste vero honorauit illum et exaltauit, quem Ecclesia mea et vicarius meus spreuit.”

Qui prior auditis verbis istis compunctus quarto die mortuus est.

Verba Christi ad sponsam de modo et respectu, quos debeat in oracione tenere, et de tribus generibus hominum in hoc mundo Deo seruiencium. Capitulum XIV.

1 ”Ego sum Deus tuus, qui in cruce crucifixus verus Deus et verus homo in una persona sum cotidie in manibus sacerdotis. Cum michi aliquam oracionem facis, conclude sic semper oracionem tuam, ut scilicet velis fieri semper voluntatem meam, non tuam. Quia cum pro dampnatis exoras, non exaudio te. **2** Quandoque eciam contra salutem tuam optas fieri, et ideo necesse est tibi voluntatem tuam michi

committere, qui omnia scio, qui prouideo tibi nichil nisi utile. Multi quippe orant non recta intencione, et ideo non exaudiri merentur.

3 Tria namque sunt genera hominum seruiencium michi in hoc mundo. Primi sunt, qui me credunt esse Deum et largitorem omnium et super omnia potentem. Hii seruiunt michi hac intencione, ut scilicet temporalia et honorem optineant, sed celestia sunt eis pro nichilo et gaudenter ea amittunt, ut optineant presencia. Hiis iuxta voluntatem eorum prosperitas seculi in omnibus accedit. Et sic amissis eternis, in temporali commoditate remunero eos, quidquid boni ficerint pro me, usque ad ultimum quadrantem et usque ad nouissimum punctum. **4** Secundi sunt, qui credunt me Deum omnipotentem et districtum iudicem, et isti seruiunt michi ex timore pene, non autem ex amore celestis glorie. Nisi enim timerent, non michi seruirent. **5** Tercii sunt, qui credunt me omnium creatorem et verum Deum, qui credunt me iustum et misericordem. Et seruiunt michi non ex timore alicuius pene sed ex diuina dilectione et caritate. Et malling quippe omnem penam, si sufficerent, magis ferre quam me semel ad iram prouocare. Isti vero merentur audiri in prece sua, quia voluntas eorum est secundum voluntatem meam.

6 Primus enim numquam exiet de suppicio nec videbit faciem meam. Secundus autem tam magnum supplicium non habebit nec tamen faciem meam videbit, nisi correxerit illum timorem penitencia.”

Verba Christi ad sponsam, condiciones magni regis Christo appropriancia, et de duabus gazophilaciis, per que amor Dei et amor mundi designantur, et de doctrina proficiendi in hac vita.

Capitulum XV.

1 ”Ego sum sicut unus rex magnus et potens. Ad regem enim pertinent quatuor: primo debet esse diues, secundo mitis, tertio sapiens, quarto caritatius. Ego vere sum rex angelorum et omnium hominum. Ego eciam habeo illas quatuor proprietates, quas dixi. **2** Primo namque sum ditissimus, quia omnibus do necessaria, nec minus habeo post datum. Secundo sum mitissimus, quia omnibus potentibus paratus sum dare. Tercio itaque sum sapientissimus, quia scio, quid unicuique debetur et expedit. Quarto eciam sum caritatius, quia paracior sum dare quam aliquis petere.

3 Ego habeo quasi duo gazophilacia. In primo enim gazophilacio sunt reposita ponderosa et grauia quasi plumbum, et cella ista, ubi ista sunt, est circumsepta acutis aculeis pungentibus. Sed qui hec primo incipit vertere et reuoluere et deinde portare didicerit, leuia videntur sibi postea quasi pluma. Et sic leuissima fiunt, que antea ponderosa videbantur, et suauia, que prius pungere credebantur. **4** In secundo gazophilacio videtur esse aurum resplendens et lapides preciosi et pocula odorifera et dulcia. Sed vere aurum illud est luteum et illa pocula sunt venenum. **5** Ad hec namque gazophilacia sunt due vie, sed ante erat unica via. In competitis, idest in ingressu duarum viarum, stabat unus homo et clamabat ad tres homines, qui incedebant per viam aliam, dicens: ’Audite, audite verba mea, et si non audieritis, saltem videte oculis vestris, quia vera sunt, que loquor. Si autem non audieritis nec videritis, saltem attractate manibus, et probabitis, quod in verbis meis nulla est falsitas.’ **6** Tunc ait primus illorum: ’Audiamus et videamus, si verba eius vera sunt.’ Secundus homo ait: ’Falsum est, quidquid dicit.’ Tercius dixit: ’Scio, quod vera sunt, que dicit, sed non curo.’

7 Quid sunt ista duo gazophilacia nisi amor meus et amor mundi? Sed ad hec duo gazophilacia sunt due vie: abieccio et perfecta abnegacio proprie voluntatis, que dicit ad amorem meum, et carnis voluptas, que dicit ad amorem mundi. **8** In amore autem meo videtur aliquibus esse onus quasi plumbum, quia, cum iejunare debent et vigilare seu refrenare carnem, quasi plumbum portare sibi videntur. Si autem verba et contumelias audierint, si in religione et oracione morantur, quasi inter aculeos resident et in omni hora angustiantur. **9** Sed qui in amore meo esse vult, incipiat primo vertere onus, idest conetur ad faciendum bona per voluntatem et continuum desiderium. Inde leuet modice et paulatim, idest faciat ea, que potest, cogitando sic: 'Hoc bene possum facere, si Deus dederit michi auxilium.' **10** Deinde perseverans in incepto cum tanta alacritate ea, que videbantur sibi prius esse onerosa, incipit portare, quod omnis labor in ieuniis seu vigiliis et aliis laboribus quibuscumque est sibi tam leuis quasi pluma. Et in tali sede quiescunt amici mei, que est malis et desidiosis quasi circumsepta aculeis et spinis, sed amicis meis est summa quies et lenis quasi rosa. **11** Ad hoc gazophilacium est via recta contemptus proprie voluntatis, quando homo, considerata passione et caritate mea, non curat facere voluntatem suam et resistit totis viribus et conatur semper ad maiora. **12** Et licet ista via in principio sit aliquantulum grauis, tamen in processu multum delectat, in tantum, quod ea, que prius videbantur ad ferendum impossibilia, fiunt postea leuissima, ut merito dicat intra se: 'Iugum Dei suaue est.'

13 Secundum gazophilacium est mundus, in quo sunt aurum, lapides preciosi et pocula, que videntur odorifera, sed tamen degustata amara sunt ut venenum. Omnis enim, qui portat aurum, contingit ei, quod, cum debilitatur eius corpus et deficiunt membra et cum eius annichilatur medulla et corpus ipsius cadit per mortem in terram, tunc relinquit aurum et lapides et non valent sibi plus quam lutum. **14** Pocula eciam mundi, idest delectaciones, videntur delectabilia, sed cum veniunt in ventrem, debilitant caput, grauant cor et omnia membra euertunt, et postea quasi fenum homo arescit. Et appropinquante dolore mortis omnia delectabilia fiunt amara quasi venenum. **15** Ad hoc gazophilacium dicit propria voluntas, quando homo non curat resistere affectionibus suis prauis neque meditatur, que ego precepi et feci, sed quidquid venit in eius cogitationem, siue licitum siue illicitum, hoc statim facit.

16 Per hanc viam tres viri ambulant, in quibus intelligo omnes reprobos, qui diligunt mundum et omnem voluntatem propriam. Hiis ego clamaui, qui stabam in competitis seu in ingressu viarum, quia veniens in carne humana ostendi hominibus quasi duas vias, scilicet quid sequendum esset quidue fugiendum, que via scilicet ducebat ad vitam et que ad mortem. Nam ante aduentum meum in carne non erat nisi una via, qua omnes boni et mali ibant in infernum. **17** Ego autem sum ille, qui clamabat, et clamabam sic: 'O homines, audite verba mea, que ducunt ad viam vite, quia vera sunt, et sensu proprio percipere potestis illa esse vera, que loquor. Et si non auditis ea vel non potestis audire, saltem videte, scilicet fide et intellectu, quia vera sunt verba mea. Sicut enim oculis carnis cernitur visible aliquid, sic oculis fidei cerni possunt inuisibilia et credi.' **18** Multi denique sunt simplices in Ecclesia, qui pauca bona operantur, per fidem tamen saluantur, qua credunt me creare omnium et redemptorem. Nullus quippe est, qui me non possit intelligere esse Deum et credere, si considerat, quomodo terra fructificat et quomodo celum dat pluuias, quomodo arbores virent, quomodo animalia unumquodque in genere suo subsistunt, quomodo sydera homini seruiunt, quomodo contraria eueniunt voluntati hominis.

19 Ex hiis omnibus potest homo videre, quod mortalis est et quod Deus est ille, qui omnia ista disponit. Si enim non esset Deus, omnia ista irent inordinate. Ergo omnia sunt a Deo et omnia

racionabiliter propter edificationem hominis sunt disposita. Nec minimum est in mundo, quod sine ratione sit vel subsistat. Ergo si homo non potest propter infirmitatem virtutem meam, sicut est, capere vel intelligere, potest tamen videre per fidem et credere. **20** Si autem, o homines, nolueritis considerare intellectu potentiam meam, potestis tamen attractare manibus vestris opera, que ego feci et sancti mei. Quia sic aperta sunt, quod nullus dubitare potest esse opera Dei. **21** Quis suscitauit mortuos et illuminauit cecos nisi Deus? Quis expulit demones nisi Deus? Quid autem docui nisi utilia ad salutem anime et corporis et leuia ad portandum? Sed primus homo ait, idest aliqui dicunt: 'Audiamus et probemus, si vera sunt!' Hii ad tempus stant in seruicio meo, non causa dilectionis sed experientie et imitacionis aliorum, nec relinquendo voluntatem propriam sed suam faciendo cum mea voluntate. **22** Hii periculose positi sunt, quia duobus dominis seruire volunt, licet neutri bene seruire possint. Cum autem vocati fuerint, quem magis dominum dilexerint, ab eo remunerabuntur. **23** Secundus homo dicit, idest aliqui: 'Falsum est, quidquid loquitur, et falsa est Scriptura.' Ego sum Deus et creator omnium, et sine me nichil factum est. Ego condidi nouam legem et veterem et de ore meo processit, nec in ea est aliqua falsitas, quia ego sum veritas. Ergo qui me falsum dixisse dicunt et Scripturam sacram falsam dicunt, ipsi numquam videbunt faciem meam, quia conscientia eorum dicit eis me esse Deum, quia omnia fiunt secundum voluntatem meam et disposicionem meam. **24** Celum illuminat eos nec ipsi se illuminare possunt, terra fructum gignit, aer fecundat terram, omnia animalia habent certam disposicionem, demones confitentur me, iusti homines paciuntur incredibilia propter amorem meum. Hec omnia vident nec tamen vident me. **25** Ipsi eciam possunt videre me in iusticia mea, si considerarent, quomodo terra absorbuit impios, ignis combussit iniquos. Sic eciam possunt videre me in misericordia mea, quando aqua de petra fluxit iustis et aqua maris cedebat eis, quando ignis non ledebat eos, quando celum quasi terra nutriebat eos. Et ideo quia ista vident et adhuc dicunt me mentiri, numquam videbunt faciem meam.

26 Tercius homo dicit, idest aliqui: 'Bene scimus eum esse verum Deum, sed non curamus.' Isti in eternum cruciabuntur, quia contempnunt me Deum et Dominum suum. Numquid non est magnus contemptus, quod utuntur donis meis, et tamen ipsi contempnunt seruire michi? Si enim haberent ipsi ex industria propria et non totum ex me, leuis esset contemptus. **27** Qui autem onus meum vertere incipiunt, idest voluntarie et ex feruenti desiderio conantur ad faciendum illud modicum, quod ipsi possunt, hiis ego dabo gratiam. Qui autem leuant pondera mea, idest pro amore meo de die in diem proficiunt, cum eis labore et fortitudo illorum ero et inflammabo eos, ut amplius velint. **28** Qui autem sedent in sede, que pungere videtur – quietissima tamen est –, hii sunt in laboribus et pacienza nocte et die nec attediantur sed eo magis ardent, et modicum eis videtur esse id, quod agunt. Hii sunt amici mei carissimi, et hii valde pauci sunt, quia pocula secundi gazophilacii magis alios delectant."

Qualiter videbatur sposte, quod quidam sanctorum loquebatur ad Deum de quadam muliere, a demone terribiliter conculcata, que postea precibus Virginis gloriose fuit liberata. Capitulum XVI.

1 Videbatur sposte, quod quidam sanctorum loquebatur ad Deum dicens: "Cur anima istius mulieris, quam sanguine tuo redemisti, sic conculcatur a dyabolo?" Respondit statim demon dicens: "Quia de iure mea est." Et tunc dixit Dominus: "Quali iure tua est?" Cui respondit demon: "Due", inquit, "vie sunt. Una dicit ad celestia, alia ad infernum. **2** Cumque ipsa inspicaret ambas vias, conscientia sua et racio dicebat sibi, quod viam meam magis eligeret. Et quia liberam habuit voluntatem diuertendi ad quam viam magis vellet, videbatur sibi utile magis diuertere voluntatem suam ad peccati

perpetracionem, et tunc incepit ambulare per viam meam. Postea decepi eam tribus viciis, scilicet gula, cupiditate pecunie et luxuria. **3** Ideo ego sedeo nunc in ventre eius et in natura eius. Et teneo eam quinque manibus. Cum una manu teneo oculos eius, ne videat spiritualia. Cum secunda manu teneo manus eius, ne faciat opera bona. Cum tercia manu teneo pedes eius, ne vadat ad bona, et cum quarta manu teneo intellectum, ne peccare erubescat. Cum quinta eciam manu teneo cor eius, ne redeat per contricionem."

4 Tunc beata virgo Maria dixit ad filium: "Fili, compelle eum dicere veritatem de ea re, quam ab eo querere volo." Et filius ait: "Tu es mater mea, tu regina celi, tu mater misericordie, tu consolacio eorum, qui sunt in purgatorio, tu leticia eorum, qui peregrinantur in mundo. Tu es domina angelorum, tu cum Deo excellentissima. Tu es eciam princeps super dyabolum. Precipe ergo tu, mater, isti demoni ea, que tu vis, et ipse dicet tibi."

5 Tunc beata Virgo quesuit ab illo dyabolo: "Dic, dyabole, qualem intencionem habuit mulier hec, antequam intrauerit Ecclesiam?" Cui dyabolus respondit: "Ipsa habuit voluntatem abstinenti a peccato." Et virgo Maria dixit ei: "Cum voluntas, quam prius habuit, ducebat ad infernum, dic, ad quid tendit voluntas ista, quam iam modo habet, scilicet abstinenti a peccato?" Cui dyabolus respondit inuitus: "Ipsa voluntas abstinenti ducit ipsam ad celum." Et tunc virgo Maria ait: "Quia ex iusticia accepisti, ut propter voluntatem priorem duceres eam a via sancte Ecclesie, nunc iusticia est, ut per voluntatem istam reducatur ad Ecclesiam. **6** Nunc eciam quero, dyabole, ulterius a te: Dic, qualem voluntatem habet modo in hoc puncto, in quo nunc est sua conscientia?" Dyabolus autem respondit: "Ipsa habet contritionem in mente pro hiis, que fecit, et magnum fletum, et proponit ulterius numquam talia committere, sed vult emendare, quantum potest." **7** Tunc Virgo quesuit a dyabolo: "Dicas michi, possuntne hec tria peccata, scilicet luxuria, gula et cupiditas, cum istis tribus bonis, scilicet contritione, fletu et proposito emendacionis, simul esse in uno corde?" Cui dyabolus respondit: "Non." **8** Et beata Virgo tunc ait: "Dicas michi ergo, que istorum debuerunt a corde suo fugere et recedere, an iste tres virtutes, an forte illa tria vicia, ex quo tu dicis, quod ibidem in eodem loco simul habitare non possunt?" **9** Dyabolus autem ait: "Dico, quod 'peccata'." Et tunc Virgo respondit: "Ideo igitur clausa est ei via ad infernum, et via ad celestia sibi aperta est." Tunc ulterius quesuit beata Virgo a dyabolo: "Dic michi, si predo iacet ante fores sponse, volens violare eam, quid faciet tunc sponsus?" **10** Respondit dyabolus: "Si bonus et magnanimus est ille sponsus, debet eam defendere et vitam suam opponere pro vita eius." Tunc Virgo ait: "Tu predo es pessimus, anima autem est sponsa sponsi, filii mei, qui eam proprio sanguine redemit. Hanc igitur tu corrupisti et violenter rapuisti. Propterea quia filius meus est sponsus anime et est dominus super te, ideo competit tibi fugere coram eo."

Declaracio.

11 Hec eadem meretrix redire voluit ad seculum, quia dyabolus molestabat eam die ac nocte in tantum, quod visibiliter oculos eius deprimebat et eam multis videntibus extraxit de lecto. Tunc presentibus multis fidedignis domina sancta Birgitta aperte dixit: **12** "Recede, dyabole, quia satis inquietasti istam creaturam Dei." Et dicto verbo ipsa mulier per dimidiam horam depresso oculos in terram et eleuans se dixit: "Vere vidi dyabolum in vilissima forma egredientem per fenestram et audiui vocem dicentem michi: 'Vere, mulier, liberata es.'"

13 Et post illam horam eadem mulier ab omni impaciencia liberata fuit nec sordidas cogitationes paciebatur ulterius et bono fine quieuit.

Verba Christi ad sponsam, qualiter peccator assimilatur tribus, scilicet aquile, aucupi et pugili.

Capitulum XVII.

1 "Ego sum Iesus Christus, qui loquor tecum, qui in ventre virginis verus Deus et verus homo fui, non minor cum Patre omnia regens, licet essem cum virgine. Ille talis inimicus meus pessimus similis est tribus: primo aquile, volanti in aere, sub qua alie aues volant; secundo similis est aucupi, cantanti in fistula linita bitumine tenaci, cuius voce aues delectate, cum ad fistulam aduolant, bitumine illo retinentur; tertio similis est pugili, qui primus est in omni certamine. **2** Ipse namque similis est aquile, quia per superbiam suam, qua nullos pateretur, si posset, esse superiores, lacerat omnes, quos potest, unguibus malicie. Ideo abscidam ei alas potencie sue et superbie. Auferam de terra maliciam eius. Ipsum autem tradam olle inextinguibili, ubi sine fine cruciabitur, nisi emendauerit se. **3** Similis est eciam aucupi, quia scilicet per dulcedinem verborum et promissionum omnes sibi attrahit, sed quicumque ad eum venerint, sic infiguntur in perdicione, ut numquam possint inde fugere. Ideo aues inferni configent oculos eius, ne umquam videat gloriam meam sed sempiternas inferni tenebras. **4** Precedunt aures illius, ne audiat verba oris mei. A planta pedis usque ad verticem capitis facient ei pro dulcedine amaritudinem, ut tot penas sustineat, quot homines adduxit in perdicionem. **5** Similis est eciam pugili, qui primus in omni malicia nulli cedere vult et omnes deprimere proponit. Ideo sicut pugil primus erit in omni pena, semper innouabitur pena eius et non deficiet. Verumptamen quamdiu anima est cum corpore, misericordia mea parata est ei."

Declaracio.

6 Hic fuit miles potentissimus, qui multum odiuit clerum, verba ignominiosa imponens eis. De quo facta est reuelacio precedens et subsequens.

7 Filius Dei loquitur: "O miles mundi, quere a sapientibus, quid contigit superbo Aman, qui despexit populum meum! Nonne mors ignominiosa et magna confusio? Sic iste deridet me et amicos meos. **8** Ideo sicut Israel non planxit mortem Aman, sic nec amici mei plangent super mortem istius sed amarissima morte morietur, nisi se emendauerit." Hec ita euenerunt.

Verba Christi ad sponsam, qualiter in domo Dei debet esse humilitas et qualiter per talem domum religio designatur, et eciam quod edificia et elemosine etcetera debent fieri de bene acquisitis et de modo restituendi. Capitulum XVIII.

1 "In domo mea debet esse omnis humilitas, que omnino nunc contempta est. Ibi debet esse murus fortis inter viros et mulieres, quia, licet omnes possem defendere et omnes sine muro tenere, propter cautelas tamen et astacias dyaboli volo, quod unus murus diuidat utrasque habitaciones, qui sit fortis et non multum altus sed moderatus. **2** Fenestre sint simplicissime et lucide, tectum moderate altum, ita ut nichil ibi appareat, nisi quod humilitatem redoleat. Quia illi, qui michi nunc domos edificant, ipsi sunt similes magistris edificantibus. Ad quos cum dominus edificii ingreditur, recipiunt eum per crines et terunt eum sub pedibus, lutum ponunt in sublimi et aurum sub pedibus. Sic faciunt ipsi michi. **3** Edificant enim lutum, idest temporalia ista casura ponunt quasi ad celum. Animas autem, que

sunt preciosiores auro, minime curant. Si ego ingredi volo ad eos per predicatores meos aut per cogitationes bonas, ipsi arripiunt me per crines et conculcant me sub pedibus, idest blasphemiam michi inferunt et opera mea et verba mea contemptibilia reputant quasi lutum. Se autem estimant multo sapienciores. Si enim michi edificare vellent ad honorem meum, animas primo edificant.

4 Quicumque autem domum meam edificat, summo studio apponat curam, ut non veniat ibi ad edificium unus denarius, qui non sit bene et iuste acquisitus. Multi quippe sunt, qui se male acquisita bona habere sciunt, et tamen de hoc non dolent nec voluntatem habent restituendi et satisfaciendi ipsis defraudatis et spoliatis, quamuis possent restituere et satisfacere, si vellent. Sed tamen, quia cogitant secum in eternum non posse possidere ea, dant partem ecclesiis ex illis bonis iniuste acquisitis, quasi per hanc donacionem placatum me habeant. Alia autem bona bene acquisita reseruant posteris suis. Hoc certe non placet michi.

5 Quicumque enim michi in donis suis placere vellet, deberet primo habere affectionem emendandi se, deinde facere illa bona opera, que posset. Debet eciam lugere et plangere mala, que fecit, deinde restituere, si potest. Et si non potest, debet habere voluntatem restituendi defraudata. **6** Postea cauere debet, ne umquam talia ulterius committat. Si autem non superesset, cui redderet illa male acquisita, tunc posset michi dare, qui omnibus possum sua refundere. Quod si reddere non sufficit, tunc, si cum proposito emendandi et contrito corde humiliauerit se michi, ego diues sum reddere et possum restituere omnibus defraudatis partes suas vel in presenti seculo vel in futuro.

7 Ego volo tibi indicare, quid significat domus, quam edificari volo. Ipsa enim domus est religio, cuius fundamentum sum ego ipse, qui omnia condidi et per quem omnia facta sunt et subsistunt. In qua domo sunt quatuor parietes. **8** Primus est iusticia mea, qua aduersantes domui huic iudicabo. Secundus paries est sapiencia mea, qua inhabitantes cognizione mea et intelligencia illuminabo. Tercius est potencia mea, qua eos confortabo contra machinamenta dyaboli. Quartus eciam paries est misericordia mea, que omnes suscipit petentes eam. **9** In hoc pariete est porta gracie, per quam omnes petentes suscipiuntur. Tectum domus est caritas, qua diligencium me peccata operio, ne pro illis peccatis iudicentur. Fenestra tecti, per quam intrat sol, est consideracio gracie mee, per quam intrat calor deitatis mee ad inhabitantes.

10 Quod autem murus debet esse fortis et grandis, significat, quod nullus valet infirmare verba mea nec ea destruere. Quod autem debet esse moderate altus, significat, quod sapiencia mea ex parte intelligi et comprehendi potest, sed numquam plenarie. **11** Fenestre simplices et lucide significant, quod, verba mea licet simplicia sunt, tamen per ea lux cognicionis diuine intrabit in mundum. **12** Tectum moderate altum significat, quod verba mea non in sensu incomprehensibili sed comprehensibili et intelligibili sensu manifestabuntur.”

Verba creatoris ad sponsam de magnificencia suarum potencie, sapiencie et virtutis, et qualiter contra eum magis peccant, qui nunc dicuntur sapientes. Capitulum XIX.

1 ”Ego sum creator celi et terre. Ego habeo tria mecum. Ego sum potentissimus, ego sapientissimus, ego eciam virtuosissimus. Ego namque sum ita potens, quod angeli in celo honorant me, demones in inferno non audent inspicere me. Omnia elementa stant ad nutum meum. **2** Sum eciam ita sapiens, quod nullus valet inuestigare sapienciam meam, ita sciens, quod omnia, que iam fuerunt, et ea, que

futura sunt, ego scio. Sum quoque ita racionabilis, quod nec minimum quidem, siue vermis siue aliquod aliud animal, quantumlibet deforme sit, est sine causa factum. **3** Sum eciam ita virtuosus, quod a me tamquam a fonte bono omne bonum emanat et sicut a vite bona omnis dulcedo procedit. Ideo nullus potest esse sine me potens, sine me sapiens, sine me virtuosus. Et ideo nimis potentes seculi contra me peccant, quibus dedi fortitudinem et potentiam, ut me honorarent, sed ipsi sibi attribuunt honorem, quasi quod illum a se ipsis habeant. **4** Non considerant miseri imbecillitatem suam. Si enim darem eis minimam infirmitatem, statim deficerent et omnia vilescerent eis. Sed quomodo tunc subsisterent ad fortitudinem meam et ad penas eternas?

5 Sed magis peccant contra me, qui nunc dicuntur sapientes. Ego enim dedi eis sensum et intellectum et sapienciam, ut me diligerent, sed ipsi nichil nisi suam utilitatem temporalem intelligunt. Oculos habent in occipite, videntes sunt ad sua delectabilia, sed ceci sunt ad gricias agendas michi, qui dedi eis omnia, quia, siue boni siue mali, nullus posset sine me sentire et intelligere, licet permitto malis voluntatem suam flectere ad quod voluerint. **6** Nullus eciam potest esse virtuosus sine me. Ideo ego possum nunc hoc proverbum dicere, quod a vulgo communiter dicitur: 'Qui paciens est, ab omnibus contempnitur.' Sic ego propter pacienciam meam nimis videor ab omnibus fatuus esse et ideo ab omnibus contempnor. **7** Sed ve eis, cum ego eis ostendero iudicium meum post talem pacienciam! Ipsi namque erunt quasi lutum ante me, quod cadit in yma, et non subsistit, antequam venerit in profundum inferni."

Collocucio grata virginis Matris et Filii adinuicem et virginis Matris et Filii ad sponsam, et qualiter sponsa se debet preparare ad nupcias. Capitulum XX.

1 Mater videbatur dicere ad filium: "Tu es rex glorie, fili mi, tu es dominus super omnes dominos, tu creasti celum et terram et omnia, que in eis sunt. Fiat ergo omne desiderium tuum, fiat omnis voluntas tua!" **2** Respondit filius: "Proverbum antiquum est, quod 'illud, quod iuuenis discit in iuuentute, hoc retinet in senectute.' Sic tu, mater, a iuuentute didicisti sequi voluntatem meam et relinquere omnem voluntatem tuam pro me. Ideo bene dixisti: 'Fiat voluntas tua!' **3** Tu enim quasi aurum preciosum, quod extenditur et percutitur super durum incudem, quia tu omnibus tribulacionibus percuciebaris et in passione mea pre ceteris paciebaris, quia, quando cor meum in cruce pre vehemencia doloris rumpebatur, tuum cor ex hoc quasi ferro acutissimo vulnerabatur, et libenter scindi permisisses, si fuisset voluntas mea. **4** Verumtamen eciam si potuisses restitisse passioni mee et optasse vitam meam, tu tamen nolusti nisi iuxta voluntatem meam. Ideo bene dixisti: 'Fiat voluntas tua!'

5 Deinde loquebatur Maria ad sponsam: "Sponsa filii mei, dilige filium meum, quia ipse diligit te! Honora sanctos eius, qui astant ei! Ipsi enim sunt quasi stelle innumerabiles, quorum lux et splendor nulli temporali luci comparari potest, quia sicut lux mundi differt a tenebris, sic et multo magis lux sanctorum differt a luce istius mundi. **6** Vere dico tibi, quod, si sancti viderentur in claritate, sicut sunt, nullus humanus oculus hoc ferre posset sed corporali lumine priuaretur."

7 Inde loquebatur filius Virginis ad sponsam suam dicens: "Sponsa mea, tu debes habere quatuor. Primo debes esse parata ad nupcias deitatis mee, in quibus nulla est libido carnalis sed spiritualis delectacio suauissima, qualem decet Deum habere cum anima casta, ita ut non filiorum amor tuorum,

non eciam bonorum vel parentum, retrahat te ab amore meo. Ne contingat tibi sicut illis virginibus fatuis, que imparate erant, quando Dominus voluit vocare eas ad nupcias, et ideo excludebantur.

8 Secundo debes esse credula verbis meis. Ego enim sum veritas et de ore meo numquam nisi veritas procedit, nec aliquis potest inuenire in verbis meis nisi veritatem. Quia quandoque spiritualiter intelligo, que loquor, quandoque sicut tunc ipsa littera sonat, et ipsa verba mea tunc nude debent intelligi, et ideo nullus potest me arguere de mendacio. **9** Tercio debes esse obediens, ut nullum sit membrum, in quo deliquisti, de quo non exigas dignam penitenciam et emendacionem. Quia licet sim misericors, tamen iusticiam non relinquo. Ideo, quibus teneris, obedias humiliter et hylariter, ita ut eciam, quod tibi videtur utile et racionabile, contra obedienciam non facias. Est enim melius propter obedienciam relinquere voluntatem tuam, licet bonam, et sequi voluntatem precipientis, si non est contra salutem anime vel alias irrationabilis.

10 Quarto debes esse humilis, quia coniugio spirituali copulata es. Ergo debes humilis esse in aduentu sponsi tui et verecunda. Ancilla tua sit moderata et refrenata, idest corpus tuum abstiens et bene disciplinatum. Eris enim fructifera semine spirituali multis profuturo. Sicut enim, surculus si inseritur trunco arido, truncus incipit florere, sic gracia mea fructificare et florere debes, que et inebrabit te, ut ex vino dulcedinis, quod tibi daturus sum, omnis celestis exercitus gaudeat.

11 Noli diffidere de bonitate mea! Dico tibi pro certo, quod sicut Zacharias et Elizabeth ineffabili gaudio gaudebant interius de promissione prolixi future, sic et tu gaudebis de gracia mea, quam tibi facere volo, et insuper et alii gaudebunt per te. **12** Illis duobus, scilicet Zacharie et Elizabeth, loquebatur unus angelus, ego autem, Deus et creator angelorum et Deus tuus, loquor tecum. Illi duo generunt michi amicum meum carissimum Iohannem, et ego per te volo generare michi multos filios, non carnales sed spirituales. **13** Vere dico tibi, quod ipse Iohannes similis erat arundini plene dulcedinis et mellis, quia in os eius numquam intravit aliquid immundum nec ultra mensuram perceptibilem suscepit vite necessaria. Nec umquam seminarius humor de corpore eius exiuit et ideo bene potest vocari angelus et virgo.”

*Verba sponsi ad sponsam in figura optima de quodam mago, per quem dyabolus mirabiliter
designatur et exponitur. Capitulum XXI.*

1 Sponsus Iesus loquebatur ad sponsam suam in figura ponens quoddam exemplum rane, dicens: ”Quidam magus habebat optimum aurum splendidum. Ad quem veniens unus simplex et mitis homo voluit emere aurum illud. Cui ait magus: ‘Non habebis hoc aurum, nisi melius aurum et maioris quantitatis dederis michi.’ **2** Ad quem ille: ‘Ego’, inquit, ‘in tantum desidero istud aurum tuum habere, quod ego, antequam caream, dabo tibi, sicut vis.’ Et dato illi mago auro meliori et maioris quantitatis, recepit ab eo aurum splendidum et posuit in scrinio, cogitans facere sibi inde anulum super digitum suum.

3 Modico autem intericto tempore venit magus ad hominem illum simplicem dicens: ’Aurum hoc, quod emisti et posuisti in scrinio tuo, non est aurum, ut putas, sed vilissima rana, que nutrita est in pectore meo et alita cibo meo. Et ut hec probes esse vera, aperi scrinium, et videbis, quod rana insiliet in pectus meum, de quo nutrita est.’ **4** Cumque ille aperire vellet et experiri, apparuit rana in scrinio, cuius operculum pendebat super quatuor cardines, quasi cicius casuros. Tunc aperto ostio scrinii rana,

viso mago, insiliit in pectus eius. Quod videntes serui et amici illius hominis simplicis dixerunt ad eum: 'Domine', inquiunt, 'aurum illud optimum iacet in rana, et si velles, faciliter posses optinere aurum.' **5** Et ille: 'Quomodo', inquit, 'quomodo hoc possem?' Qui dixerunt: 'Si quis reciperet acutissimam et feruentem lanceam et eam infigeret dorso rane, et ex ea parte dorsi, ubi concavum aliquid esset, tunc cicias posset optinere aurum. Si autem concavum in ea inueniri non posset, tunc deberet lancea nimis valenter et toto conamine infligi in eam, et sic habere posses, quod emisti.'

6 Quis est iste magus nisi dyabolus, qui suadet hominibus delectaciones et honores, que non sunt nisi vana? Nam falsa promittit esse vera et vera facit videri falsa. Ipse enim possidet aurum illud preciosum, idest animam, quam preciosiorem omnibus stellis et planetis per potentiam deitatis mee feci, quam immortalem et stabilem et delectabiliorum michi ceteris creaui, et preparauit ei mecum eternam requiem et habitacionem. **7** Hanc ego de potestate dyaboli meliori auro et maioris precii emi, quando pro ea dedi carnem meam, immunem ab omni peccato, et sustinui tam amaram passionem, quod nullum membrum meum esset sine vulnere. Redempta autem anima, posui eam in corpore tamquam in scrinio, donec eam in dignitate deitatis mee collocarem.

8 Nunc autem anima hominis sic redempta facta est velut turpissima et vilissima rana, saltans per superbiam et commorans in ceno per luxuriam, et abstulit michi aurum, idest omnem iusticiam meam. Et ideo dyabolus bene potest dicere michi: 'Aurum, quod emisti, non est aurum, sed rana, nutrita in pectore delectacionis mee. Separa ergo corpus ab anima, et videbis, quod statim volabit ad pectus mee delectacionis, ubi nutrita est.' **9** Cui ego respondeo: 'Quia rana horrida est visu, horribilis voce et venenosa in tactu nec aliquid michi boni nec delectacionis confert, sed tibi, in cuius pectore nutrita est, tua propria sit, quia tua de iure est. Ideo aperto ostio, idest separata anima a corpore, statim volabit ad te, tecum sine fine mansura.'

10 Talis enim est anima illius, de quo tibi loquor. Nam ipsa est velut rana pessima, plena omni immundicia et voluptate, nutrita in pectore dyaboli. Ad cuius scrinium, idest corpus, nunc per appropinquacionem mortis appropinquuo, quod pendet in quatuor cardinibus casuris, quia corpus eius ex quatuor subsistit, scilicet fortitudine, pulchritudine, sapiencia et visu, que omnia iam nunc incipiunt sibi deficere. **11** Cumque anima eius separabitur a corpore, statim volabit ad dyabolum, de cuius lacte nutrita est, quia oblita est dilectionis mee, qua supplicium eius, quod meruerat, pro ea suscepit. Nam michi non rependit dilectionem pro dilectione mea sed insuper aufert michi iusticiam meam, quia michi magis deberet seruire, qui redemi eam, quam alteri. Sed ipsa magis delectatur in dyabolo.

12 Vox oracionis eius est michi sicut vox rane, visus eius in conspectu meo abhominabilis, auditus eius numquam audiet gaudium meum nec tactus eius venenatus senciet deitatem meam. Verumtamen quia misericors sum, et anima eius, licet immunda sit, si adhuc attractaret aliquis et consideraret, si aliqua contricio esset in ea et voluntas bona, et infigeret menti eius lanceam acutissimam et feruentem, idest timorem districti iudicii mei, adhuc inueniret graciam meam, si vellet consentire. **13** Quod si nulla esset in eo contricio nec caritas, si quis tamen pungeret eum mordaci correptione et reprehensione dura, adhuc esset in eo spes, quia, quamdiu anima cum corpore viuit, misericordia mea omnibus aperta est. Vide ergo, quia pro caritate mortuus sum et michi nullus rependit caritatem sed aufert michi iusticiam meam, quia iustum esset, ut homines eo melius viuerent, quo maiori labore redempti sunt. **14** Sed nunc eo deterius viuere volunt, quo eos amarius redemi, eo fiducialius peccare volunt, quo magis eis peccatum abhominabile ostendi. Ideo vide et considera, quia non sine causa

irascor, quia graciam meam conuertunt sibi in iram. Redemi enim eos a peccato, et ipsi se magis nunc implicant peccato.

15 Tu ergo, sponsa mea, redde michi, que teneris, idest animam tuam mundam michi conserua, quia pro ea mortuus sum hac de causa, ut eam michi mundam seruares.”

*Interrogacio dulcissima Matris ad sponsam et responsio humilis sponse ad Matrem, et replicacio
utilis Matris ad sponsam et de profectu bonorum inter malos. Capitulum XXII.*

1 Mater loquebatur ad sponsam filii dicens: ”Tu es sponsa filii mei. Dicas, quid habes in animo et quid petis!” Cui sponsa respondit: ”Tu domina, bene nosti, quia scis omnia.” Et tunc beata Virgo ait: ”Licet ego omnia sciam, tamen te loquente audientibus astantibus cognoscam.” **2** Et sponsa dixit: ”Duo”, inquit, ”timeo, domina. Primo pro peccatis, que non ploro nec emendo, ut vellem. Secundo contristor ex eo, quod inimici filii tui sunt multi.” Tunc virgo Maria respondit: ”Contra primum do tibi tria remedia. Primo cogita, quod omnia, que spiritum habent, sicut rane et cetera animalia, quandoque habent incommoda, nec tamen in eternum viuit spiritus eorum sed cum corpore moritur. Tua autem anima et omnis hominis viuit in eternum. **3** Secundo cogita misericordiam Dei, quia nullus homo sic peccator est, si cum emendacionis proposito et contricione rogauerit, quod non dimittatur ei peccatum. Tercio cogita, quanta gloria est anime, que cum Deo et in Deo sine fine viuit.

4 Contra secundum, scilicet quod inimici Dei sunt multi, do eciam tibi tria remedia. Primo considera, quod Deus tuus et creator tuus et eorum est iudex super eos, et numquam amplius ipsi iudicabunt eum, licet pacienter supportet ad tempus maliciam eorum. Secundo, quod filii dampnacionis sunt et quam graue et intolerabile erit eis semper ardere. **5** Ipsi sunt serui pessimi, qui carebunt hereditate, filii autem recipient hereditatem. Sed dices forte: ’Ergo non est eis predicandum?’ Utique! Considera, quod inter malos frequenter sunt boni. Et filii adoptiui quandoque recedunt a bono, sicut ille filius prodigus, qui abiit in aliam regionem longinquam et vixit male. **6** Sed ipsi quandoque per predicacionem compuncti reuertuntur ad patrem et erunt eo accepctiores, quo prius peccatores. Ideo eis magis predicandum est, quia, licet predictor fere omnes videat malos, consideret tamen secum: ’Forte sunt aliqui inter eos filii futuri Domini mei. Predicabo ergo eis.’ Hic predictor optimam habebit mercedem.

7 Tercio considera, quod mali viuere permittuntur ad bonorum probacionem, ut ex eorum moribus exasperati paciencie fructu remunerentur, sicut eciam per exemplum intelligere poteris. Rosa enim suauiter redolet, pulchra est visu, lenis tactu, et tamen non crescit nisi inter spinas, que sunt aspere tactu, deformes visu, nichil boni redolentes. **8** Sic eciam boni et iusti homines, licet lenes sint paciencia, pulchri moribus, suaues bono exemplo, non tamen possunt proficere vel probari nisi inter malos. Quandoque eciam spina defendit rosam, ne carpatur ante maturitatem. Sic mali occasio sunt bonis, ne excedant in peccatis, quando per eorum maliciam refrenantur, ne immoderata leticia vel alio peccato dissoluantur.

9 Numquam eciam vinum seruatur bene in bonitate sua nisi in fece nec boni et iusti in virtutibus stare et proficere possunt, nisi probentur tribulacionibus et iniquorum persecucionibus. Ideo tu libenter supporta inimicos filii mei et cogita, quod ipse iudex eorum est et quod ipse, si sic esset iusticia, ut deberent destrui omnes, bene posset in momento delere eos. Ergo tolera tu, quamdiu ipse tolerat eos!”

*Verba Christi ad sponsam de homine ficto, qui inimicus Dei est nuncupatus, et quam maxime de
ypocrita, et eius ad plenum proprietates ponencia. Capitulum XXIII.*

1 "Ille talis videtur hominibus quasi homo bene ornatus, fortis et decorus et in pugna domini sui strenuus sed, amota galea a capite eius, est abhominabilis ad videndum et inutilis ad operandum. Apparet enim cerebrum eius nudum. Aures habet in fronte, oculos in occipite. Nasus eius abscisus est. Gene eius ex toto contracte quasi hominis mortui. Maxilla eius ex dextera parte cum faucibus et dimidietate labii tota deciderat, ita quod nichil ex dextera parte remanet nisi guttur solum, quod nudum apparet. **2** Pectus eius plenum est vermibus scaturientibus, brachia eius quasi duo serpentes. Cor impletum est pessimo scorpione, dorsum eius velut combustus carbo. Intestina eius sunt fetencia et corrupta quasi caro habundans sanie, pedes eius mortui et inutiles ad incedendum. Quid autem ista significant, dicam tibi.

3 Ille talis videtur hominibus exterius bonis moribus et sapiencia ornatus et in honore meo strenuus esse, sed nequaquam ita est. Si enim amoueretur galea a capite eius, idest ostenderetur hominibus, qualis ipse est, esset pre omnibus vilissimus. Cerebrum quippe eius est nudum, quia insipiencia et leuitas morum eius satis euidentissimis signis ostendit eum bonis hominibus indignum esse tali honore. Si enim saperet ei sapiencia mea, intelligeret se tanto austeriori conuersacione debere pre aliis vestiri, quo maiori honore pre ceteris sublimatur. **4** Aures habet in fronte, quia pro humilitate, quam deberet habere in dignitate et ceteris lucere, non vult nisi audire laudem et honorem suum et pro eo assumit sibi superbiam, unde velit ab omnibus vocari magnus et bonus.

5 Oculos habet in occipite, quia cogitacio eius tota est ad presencia et non ad eterna, tota, quomodo placeat hominibus et quid utilitas carnis requirit et non quomodo placeat michi et proposit animabus. **6** Nasus eius abscisus est, quia discrecio ablata est ab eo, qua discernat inter peccatum et virtutem, inter honorem temporalem et eternum, inter diuicias seculi et eternas, inter delectaciones istas modicas et eternas. **7** Gene eius contracte sunt, idest verecundia omnis, quam deberet habere ad me, et pulchritudo virtutum, qua michi placeret, omnino quasi mortua est ad me. Quia pro hominum verecundia erubescit peccare, pro me autem nichil.

8 Altera pars maxille et labii deciderat, ita quod nichil remanet nisi guttur, quia imitacio operum meorum et predicacio verborum meorum cum oracione feruenti in eo iam cecidit, ita quod nichil remanet in eo nisi guttur gule sue. Imitacio autem prauorum et reuolucio secularium negotiorum totaliter sana et pulchra sibi videntur. **9** Pectus eius plenum est vermibus, quia in pectore, ubi deberet esse recordacio passionis mee et memoria operum meorum et preceptorum, ibi est sollicitudo temporalium et cupiditas mundi, que quasi vermes eius conscientiam mordent, ne cogitet spiritualia.

10 In corde eius, ubi ego morari vellem et caritas mea sedere deberet, sedet pessimus scorpio, qui pungit cauda et blanditur facie, quia de ore eius satis blanda procedit loquela et racionabilis, sed cor eius plenum est iniusticia et fallacia, quia non curaret, quod Ecclesia, cui preest, destrueretur, si voluntatem suam posset perficere. **11** Brachia eius sunt sicut serpentes, quia per maliciam suam extendit se ad simplices, vocando eos cum simplicitate ad se sed occasione accepta miserabiliter supplantat. Inde quasi serpens retorquet se quasi in circulum, quia occultat maliciam suam et iniquitatem, ut vix aliqui eius astuciam possint deprehendere. **12** Iste est quasi vilissimus serpens in

conspectu meo, quia sicut serpens omnibus animalibus est odiosior, sic iste omnibus michi deformior, quia iusticiam meam annichilat et reputat me quasi hominem, qui nolit vindicare.

13 Dorsum eius est velut carbo, quod tamen deberet esse sicut ebur, quia opera eius deberent esse forcia pre aliis et mundiora, ut infirmos portaret per paciem et per vite bone exemplum. **14** Sed nunc est quasi carbo, quia infirmus est ad paciendum unum verbum pro honore meo nisi causa utilitatis proprie. Verumtamen fortis sibi videtur esse ad mundum. Ideo, cum stare putat, cadet, quia sic deformis et mortuus est in conspectu meo et sanctorum meorum sicut carbo.

15 Interiora eius sunt fetencia, quia cogitacio eius et affeccio fetent in conspectu meo velut caro mortua, cuius fetorem nullus ferre potest. Sic eum nullus sanctorum ferre potest, sed omnes auertunt ab eo vultum suum et petunt super eum iudicium. **16** Pedes eius sunt mortui. Duo namque pedes sunt due affectiones eius ad me, scilicet voluntas emendandi commissa et voluntas faciendi bona. Sed hii pedes omnino in eo mortui sunt, quia omnis medulla caritatis consumpta est in eo et nichil remanet nisi ossa induracionis. Et sic stat coram me. Verumtamen quamdiu anima est cum corpore, misericordiam meam inuenire potest."

Declaracio.

17 Apparuit sanctus Laurencius, dicens: "Ego cum essem in mundo, habui tria: continenciam ad me ipsum, misericordiam ad proximum, caritatem ad Deum. Ideo feruenter predicaui verbum Dei, sapienter distribui bona Ecclesie et gaudenter tolerabam verbera, ignem et mortem. **18** Hic vero episcopus tolerat et dissimulat incontinenciam cleri, expendit largiter bona Ecclesie in diuites, caritatem habet ad se et ad suos. Ideo notum ei facio, quod nubes leuissima iam ascenderat in celum, quam faces tenebrose obumbrant, ne videatur a pluribus.

19 Hec vero nubes est oracio matris Dei pro Ecclesia, quam faces cupiditatis et indeuocionis et defectus iusticie sic obnubilant, quod lenitas misericordie matris Dei corda miserorum ingredi non valeat. **20** Propterea conuertat se cicius episcopus ad diuinam caritatem, corrigendo se ipsum et subditos suos exemplo et verbis suis ammonendo et ad meliora prouocando. Alioquin senciet manum iudicantis et Ecclesia sua igne et gladio purgabitur et rapina et tribulacione affligetur in tantum, quod in longa tempora non erit, qui eam consoletur."

*Verba Dei Patris coram celi exercitu et responsio Filii et Matris ad Patrem ad graciam pro filia
impetrandam. Capitulum XXIV.*

1 Pater loquebatur, audiente toto exercitu celi, dicens: "Coram vobis conqueror, quod filiam meam tradidi uni viro, qui nimis affligit eam et pedes eius cippo ligneo stringit ita, quod omnis medulla exit de pedibus eius." Cui respondit filius: "Ipsa est, pater, quam ego sanguine meo redemi et desponsaui michi, sed nunc violenter rapta est." **2** Deinde loquebatur mater dicens: "Tu es Deus meus et Dominus meus et membra filii tui benedicti fuerunt in corpore meo, qui verus filius tuus et verus filius meus est. Ego enim tibi nichil negaui in terra. Miserere filie tue propter preces meas!"

3 Post hec loquebantur angeli dicentes: "Tu es Dominus noster et in te omne bonum habemus nec aliquo indigemus nisi te. Quando sponsa tua de te processit, omnes nos gratulabamur. Nunc autem

merito contrastari possemus, quia tradita est in manus pessimi, qui eam omni vilitate et obprobrio confundit. Miserere igitur ei propter tuam magnam misericordiam, quia miseria eius magna est nimis, et non est, qui consoletur et liberet eam nisi tu, Domine Deus omnipotens.” **4** Tunc respondit pater ad filium dicens: ”Fili, querimonia tua querimonia mea est, verbum tuum verbum meum, opera tua opera mea sunt, tu in me et ego in te inseparabiliter. Fiat voluntas tua!”

5 Deinde ad matrem filii ait: ”Quia tu michi nichil negasti in terra, ideo ego tibi nichil negabo in celo. Voluntas tua complebitur.” **6** Ad angelos autem dixit: ”Vos estis amici mei et flamma caritatis vestre ardet in corde meo. Faciam misericordiam filie mee propter preces vestras.”

Verba creatoris ad sponsam, qualiter eius iusticia malos tripliciter sustinet et eius misericordia malis

tripliciter parcit. Capitulum XXV.

1 ”Ego sum creator celi et terre. Mirabar tu, sponsa mea, quare sic paciens sum in malos. Hoc est, quia misericors sum. Nam tripliciter patitur eos iusticia mea et tripliciter parcit eis misericordia mea. **2** Primo eos iusticia mea patitur, ut tempus eorum compleatur ex toto. Sicut enim rex iustus, habens incarceratos aliquos, si ab eo queritur, cur non occiduntur, respondet, ’quia nondum venit placitum generale, ubi ad maiorem cautelam audiencium audiri possunt’, sic ego supporto malos, donec venerit tempus eorum, ut innotescat eciam aliis malicia eorum.

3 Numquid non longe ante predixi de reprobacione Saulis, antequam innotuit hominibus? Quem, ut aliis malicia eius ostenderetur, diu supportau. Secundo, quia mali aliqua bona opera fecerunt, pro quibus usque ad ultimum punctum remunerari debent, ut non sit aliquod minimum bonum, quod pro me fecerunt, pro quo non remunerentur, ut hic recipient mercedem suam. **4** Tercio, ut honor Dei et eius pacientia manifestetur, ideo supportau Pilatum, Herodem et Iudam, cum tamen dampnati essent. Ideo, si quis querit, quare illum et illum supporto, consideret Iudam et Pilatum.

5 Tripliciter eciam parcit malis hominibus misericordia mea. Primo propter nimiam caritatem. Longa enim est pena eterna. Ideo propter maximam caritatem supporto eos usque ad ultimum punctum, ut pena ex longa temporis protraccione tardius eis inchoetur. **6** Secundo, ut consumatur natura eorum in viciis. Per peccatum enim natura consumitur, ne mortem temporalem amariorem sentirent, si natura eorum esset recencior. Recens enim natura mortem prolixorem et amariorem facit. **7** Tercio ad profectum bonorum et conuersionem aliquorum malorum. Cum enim boni homines et iusti per malos tribulantur, vel proficit ipsis bonis et iustis ad refrenacionem peccati vel ad maius meritum acquirendum.

8 Similiter et mali viuunt malis ad bonum quandoque. Nam mali, cum aliquorum malorum casum et nequiciam considerant, cogitant secum dicentes: ’Quid prodest nobis sequi eos?’ et ’Cum sic paciens est Dominus, melius est conuerti.’ **9** Et sic quandoque redeunt ad me auersi, quia abhorrent talia facere, sicut illi mali faciunt, dicente eis conscientia eorum talia non facienda. Unde dicitur, quod aliquis percussus a scorpione, si perungitur oleo, in quo mortuus est alius serpens, sanatur. **10** Sic quandoque malus, videns alterius casum, compungitur et, considerata alterius iniquitate et vanitate, sanatur.

*Verba laudis angelici exercitus ad Deum et de filiorum generacione, si parentes primi non peccassent,
et qualiter Deus ostendit mirabilia per Moysen ad populum et postea ipse ad nos in eius aduentu
etcetera, et de corrupcione huius temporis corporalis matrimonii et de condicionibus coniugii
spiritualis. Capitulum XXVI.*

1 Angelicus exercitus visus est astare Deo et ait totus exercitus: "Laus tibi sit, Domine Deus, et honor, qui es et qui eras sine fine! Nos serui tui sumus et triplici de causa laudamus et honoramus te. Primo, quia creasti nos, ut tecum gauderemus, et dedisti nobis lucem inenarrabilem, qua in perpetuum letaremur. **2** Secundo, quia in bonitate tua et in stabilitate tua omnia creata sunt et persistunt, et omnia ad tuam voluntatem stant et in tuo verbo permanent. Tercio, quia creasti hominem, pro quo sumpsisti humanitatem. Ex quo est maximum nostrum gaudium et de matre tua castissima, que te portare meruit, quem celi non potuerunt capere et concludere.

3 Ideo sit gloria et benediccio tua super omnia pro angelica dignitate, quam tanto honore sublimasti! Sit tua perpetua eternitas et stabilitas super omnia, que stabilia sunt et esse possunt! Sit tua caritas super hominem, quem creasti! **4** Tu, Domine, solus timendus es pro magna potencia tua, tu solus desiderandus es pro omni caritate tua, tu solus amandus es pro stabilitate tua. Ideo sit tibi laus sine fine incessanter in secula seculorum amen!"

5 Tunc Dominus respondit: "Vos digne honoratis me pro omni creatura. Sed dicite, quare laudatis me pro homine, cum ipse me plus omnibus creaturis ad iram prouocauit! Nam ego creavi eum excellenciem omnibus inferoribus creaturis et pro nullo tam indigna passus sum et nullum tam care redemi sicut hominem. **6** Aut que creatura non tenet ordinem suum excepto homine? Sed ipse ceteris creaturis est michi molestior. Sicut enim creavi vos in laudem et gloriam meam, sic eciam feci hominem michi in honorem. Dedi enim ei corpus tamquam templum spirituale, in quo posui animam quasi angelum pulchrum, quia anima hominis quasi angelice virtutis est et fortitudinis. **7** In quo templo ego, Deus suus et creator, eram tertius, quo delectaretur et frueretur. Deinde feci ei aliud templum de costa sua propria huic simile.

8 Sed nunc, o tu sponsa mea, propter quam hec fiunt, potes querere: 'Quomodo de eis filii nascerentur, si non peccassent?' Respondeo tibi: Certe ex diuina caritate et mutua dilectione et commixtione sexus, qua ambo inuicem inflammarentur, sanguis caritatis fecundaretur in corpore mulieris absque aliqua turpi voluptate et sic mulier fructifera fieret. **9** Deinde infante concepto absque peccato et voluptuosa delectacione, ego ex deitate mea immitterem animam et sic absque dolore portaret puerum et pareret. Qui natus infans statim esset perfectus sicut Adam. Hunc honorem contempsit homo, quando consensit dyabolo et desiderabat maiorem honorem quam ego dederam sibi.

10 Facta autem inobedientia venit angelus meus super eos et erubuerunt de nuditate sua et illico senserunt concupiscenciam carnis et passi sunt esuriem et sitim. Tunc eciam caruerunt me, quem cum habuerunt, non senserunt esuriem neque aliquam delectacionem carnis seu erubescenciam, sed ego solus eram eis omne bonum et omnis dulcedo et perfecta delectacio. **11** Cumque dyabolus gauderet de perdicione eorum et casu, ego motus pietate super eos non reliqui eos sed triplicem misericordiam ostendi eis. Vestiui enim eos nudos et dedi eis panem de terra. Pro luxuria, quam dyabolus aucta inobedientia suscitauit eis, dedi in semine eorum animas per deitatem meam. Et quidquid dyabolus suggestit eis ad malum, hoc ego totum conuerti eis in bonum.

12 Deinde ostendi eis modum viuendi et colendi me et permisi eis licite commisceri, cum tamen ante permissionem meam et indicacionem timore percussi formidabant coniungi. Similiter et occiso Abel cum multo tempore lugerent et abstinerent, ego compassione permotus consolatus sum eos. Et tunc ipsi, cognita voluntate mea, iterum ceperunt coniungi et filios procreare. De quorum progenie ego ipse, creator eorum, promisi me nasciturum. **13** Cumque cresceret malicia filiorum Adam, et ego tunc ostendi iustiam meam peccantibus sed electis meis misericordiam, quibus placatus seruauit eos a perdicione et exaltaui eos, quia seruabant precepta mea et crediderunt promissionibus meis.

14 Adueniente autem tempore miseracionis, per Moysen ostendi mirabilia mea. Nam saluauit populum meum iuxta promissionem meam. Pauis eos manna et processi eos in columpna nubis et ignis, dedi eis legem meam et ostendi eis secreta mea et futura per prophetas meos. **15** Post hec autem ego, qui omnia creauit, elegi michi virginem, natam de patre et matre, ex qua humanam carnem assumpsi, et ex ea nasci dignatus sum absque coitu et peccato, ut, sicut illi primi filii in paradyso nasci deberent misterio diuine caritatis et ex caritate mutua et dilectione generancium absque aliqua turpi voluptate, sic deitas mea humanitatem de femina virgine sine coitu et lesione virginitatis accepit.

16 Veniens igitur in carne verus Deus et homo, impleui legem et omnes scripturas, sicut antea de me prophetizatum erat, et incepi nouam legem, quia antiqua stricta erat et dura ad portandum nec erat aliud nisi figura futurorum faciendorum. Nam in illa lege antiqua licitum erat uni plures uxores habere, ne posteritas transiret sine liberis vel ne miscerentur gentibus. **17** In mea autem noua lege precipitur uni marito unam tantum habere uxorem et prohibetur illa viuente habere plures uxores. Quicumque ergo ex diuina caritate diuinoque timore propter suscipiendam prolem coniunguntur, hii sunt templum spirituale, in quo ego tercius habitare volo.

18 Sed homines huius temporis septemplici ratione coniunguntur. Primo propter faciei pulchritudinem, secundo propter diuicias, tertio propter nimiam scurrilitatem et indecens gaudium, quod recipiunt in coitu, quarto, quia est ibi amicorum conuentus et immoderata gula, quinto, quia est ibi superbia in vestibus, in cibis et in ioculationibus et aliis vanitatibus, sexto causa suscitande prolis, non ut Deo nutriatur vel in bonis operibus, sed ad diuicias et honores; septimo conueniunt causa luxurie et in luxurie appetitu velut iumenta. **19** Hii veniunt cum uno consensu et concordia ante fores ecclesie mee, quorum affeccio et interna cogitacio tota est contraria michi, et voluntatem suam, que ad placendum mundo est, preponunt voluntati mee. Si enim tota cogitacio eorum esset ad me et voluntatem suam committerent in manus meas et susciperent coniugium cum timore meo, tunc ego assentirem in eos et essem tercius cum eis.

20 Nunc autem consensus meus, qui deberem esse caput eorum, abest, quia luxuria est in corde eorum et non amor meus. Deinde procedunt ad altare meum, ubi audiunt, quod debent esse cor unum et anima una, sed tunc cor meum fugit ab eis, quia ipsi de corde meo non habent calorem et de carne mea non senciunt saporem. **21** Querunt enim calorem, cito peritum, et querunt carnem, quam vermes comedunt sunt. Ideo tales coniunguntur absque vinculo Dei Patris et eius unione et absque caritate Filii et absque consolacione Spiritus sancti.

22 Cum vero coniuges veniunt ad lectum, tunc statim discedit ab eis spiritus meus et appropinquit spiritus impurus, quia non conueniunt nisi causa luxurie, nec aliquid aliud inter eos tractatur et cogitatur. Verumtamen adhuc misericordia mea cum eis est, si conuertentur. Ex multa enim caritate mitto ego in semen eorum animam viuentem, a potencia mea creatam, et concedo aliquando, quod de malis parentibus quandoque generentur boni filii. Frequencius tamen nascuntur mali filii de malis

parentibus, quia filii tales parentum iniquitatem imitantur, in quantum possunt, et plus imitarentur, si a pacienza mea permitterentur.

23 Tale enim coniugium numquam videbit faciem meam, nisi penituerint. Nullum enim peccatum tam graue est, quod penitencia non diluatur. Propterea conuertam me ad coniugium spirituale, quale decet habere Deum cum corpore casto et anima casta. Ibi enim alia septem bona inueniuntur, contraria prioribus predictis malis. **24** Nam ibi non desideratur forma aliqua seu pulchritudo corporis nec delectabilium visio sed solummodo visio et amor Dei; secundo nichil possidere nisi unde viuant, solummodo ad necessitatem, nichil ad superfluitatem; tertio vitant verba ociosa et scurrilia; quarto non curant videre amicos vel parentes, sed ego sum amor et desiderium eorum. **25** Quinto humilitatem cupiunt seruare interius in conscientia et exterius in habitu. Sexto habent voluntatem numquam velle luxuriari. Septimo generant Deo suo filios et filias per bonam conuersacionem et bonum exemplum et per spiritualium verborum predicacionem.

26 Hii tunc assistunt foribus Ecclesie mee, quando fidem inuiolabilem obseruant, ubi assenciant in me et ego in eos. Procedunt vero ad altare meum et cum corpore et sanguine meo spiritualiter delectantur. In cuius delectacione cor unum et caro una et unius voluntatis esse volunt, et ego verus Deus et homo, potens in celo et in terra, ero tercius cum eis, qui implebo cor eorum. **27** Illi coniuges temporales incipiunt concupiscenciam sui coniugii in luxuria tamquam iumenta, et deteriores iumentis. Isti autem spirituales coniuges incipiunt in diuina caritate et diuino timore, nulli placere curantes nisi michi. Illos implet et excitat spiritus malus ad carnis delectacionem, in qua non est nisi fetor, sed isti implentur spiritu meo et igne caritatis mee accenduntur, qui numquam deficiet eis.

28 Ego sum unus Deus, trinus in personis, unus in substancia cum Patre et Spiritu sancto. Sicut enim impossibile est separari Patrem a Filio et Spiritum ab utroque et sicut impossibile est separari calorem ab igne, sic impossibile est tales coniuges spirituales a me separari, quin sim tercius cum eis. Semel enim corpus meum laceratum est in passione et mortuum, sed numquam amplius lacerabitur nec morietur. **29** Ita ipsi numquam morientur a me, qui michi fide recta et voluntate perfecta incorporantur. Nam ubicumque stant, sedent vel ambulant, ego semper sum tercius cum eis.”

*Verba Matris ad sponsam, qualiter in chorea sunt tria et quomodo per choream mundus iste
designatur, et de tribulacione Matris in Christi morte. Capitulum XXVII.*

1 Mater Dei loquebatur ad sponsam dicens: ”Filia mea, volo te scire, quod, ubi est chorea, ibi sunt tria, scilicet inanis leticia, vox perfusa et labor superuacuus. Cum autem aliquis dolens vel tristis in domo choree intrauerit, tunc amicus eius, existens in illa choree leticia, videns amicum suum venientem tristem et mestum, statim dimissa leticia segregat se a chorea et condolet amico dolenti. **2** Chorea ista est mundus iste, qui semper voluitur sollicitudine, que hominibus stultis videtur esse leticia. In quo mundo sunt tria: inanis leticia, verba scurrilia, labor inutilis, quia omnia, per que homo laborat, relinquit post se. Qui autem est in hac mundi chorea, consideret laborem et dolorem meum et condoleat michi, que eram ab omni leticia mundi segregata, et segreget se a mundo. In morte namque filii mei eram sicut mulier, habens cor affixum quinque lanceis.

3 Prima enim lancea erat nuditas verecunda et vituperosa, quia videbam filium meum castissimum et potentissimum astare ad columpnam nudum et nichil oportimenti habentem. Secunda erat accusacio

eius. Nam accusabant eum, dicentes eum proditorem et mendacem et eciam insidiatorem, quem ego sciebam esse iustum et veracem nullumque offendisse vel voluisse offendere. **4** Tertia lancea michi erat spinea corona eius, que sic immaniter pupugit caput eius sanctissimum, ut sanguis deflueret in os eius et in barbam et in aures eius. Quarta lancea erat vox lamentabilis in cruce, qua clamabat ad Patrem dicens: 'O pater, quare me dereliquisti?' Ac si vellet dicere: 'Pater, non est, qui misereatur mei nisi tu.' Quinta lancea, que cor meum pertransibat, erat mors eius amarissima.

5 De quot enim venis sanguis eius exiuit preciosus, quasi tot lanceis cor meum perforatum est. Perforate sunt nempe vene manuum eius et pedum et dolor neruorum perforatorum accessit inconsolabiliter ad cor eius et de corde iterum ad neruos, et quia cor eius erat recentissimum et optimum, quia compaginatum de optima natura, propterea certabant inter se vita et mors, et sic amarius protrahebatur vita inter dolores.

6 Appropinquante autem morte cum pre intolerabili dolore rumperetur cor, tunc statim contremuerunt omnia membra eius, et caput, quod ad dorsum eius reclinabatur, eleuauit se modicum. **7** Oculi clausi semiaperiebantur, quasi ad medietatem. Os eius similiter aperiebatur et videbatur lingua eius sanguinolenta. Digi et brachia, que erant quodammodo contracta, extendebantur. Tradito autem spiritu caput inclinabatur ad pectus. Manus de loco vulnerum modicum submisserunt se. Pedes sustentabant maius pondus.

8 Tunc aruerunt manus mee. Oculi obtenebrati sunt et facies palluit quasi mortui. Aures nichil audierunt. Os meum nichil potuit loqui. Pedes eciam mei nutauerunt, et tunc corpus meum cecidit ad terram. Surgens autem de terra cum viderem filium meum leproso despecciorem, posui voluntatem meam totam ad ipsum, sciens, quod secundum voluntatem eius omnia facta fuissent et non potuissent fieri nisi ipso permittente et regraciabar ei pro omnibus. **9** Leticiaque quedam mixta erat mesticie, quia videbam eum, qui numquam peccauit, ex tanta caritate voluisse talia pati pro peccatoribus. Ergo quicunque est in mundo, consideret, qualis ego eram in morte filii mei, et semper habeat pre oculis!"

Verba Domini ad sponsam, indicancia, qualiter quidam ante eius tribunal venerat iudicandus, et de terribili et horribili sentencia illata a Deo et ab omnibus sanctis contra eum. Capitulum XXVIII.

1 Videbat sponsa Deum quasi iratum, qui dicebat: "Ego sum sine principio et sine fine. Nulla immutatio est apud me nec anni et dies. Sed omne tempus huius mundi est apud me, quasi esset una hora vel momentum. **2** Omnis, qui videt me, omne, quod est in me, videt quasi ad punctum et intelligit. Sed quia tu, sponsa mea, corporalis es, ideo non sic potes percipere et cognoscere sicut spiritus. Ideo indicabo propter te, quod actum est.

3 Ego sedi quasi in iudicio, quia omne iudicium datum est michi, et venit quidam iudicandus ante tribunal. Cui vox Patris sonuit, dicens ei: 'Ve tibi, quia umquam natus fuisti', non quia penituit Deum fecisse eum, sed sicut aliquis dolere solet pro alio compaciendo ei. **4** Deinde respondit vox Filii: 'Ego fudi sanguinem meum pro te et suscepi amarissimam penam pro te; ab hac enim tu omnino alienatus es nec habet aliquid tecum.' Vox Spiritus ait: **5** 'Quesiui omnes angulos cordis eius, si forte inuenirem aliquam molliciem in corde eius et caritatem, sed frigidissimus est quasi gelu, durissimus sicut lapis; non est aliquid michi cum eo.'

6 Hee tres voces non ideo audite sunt, quasi sint tres dii, sed propter te, sponsa mea, facte sunt, quia tu non poteras hoc misterium aliter intelligere. Deinde iste tres voces predicte, scilicet Patris et Filii et Spiritus sancti, conuerse sunt statim in unam vocem tantum. Que vox sic intonuit, dicens: 'Nullatenus tibi debetur regnum celi.' **7** Mater misericordie siluit nec aperuit misericordiam suam, quia iste iudicandus indignus ea erat. Et omnes sancti una voce clamabant, dicentes: 'Hec est diuina iusticia, ut perpetuo exul sit a regno et gaudio tuo.'

8 Et tunc omnes illi, qui erant in purgatorio, dixerunt: 'Nulla pena est tam amara nobiscum, que sufficiat ad puniendum peccata tua. Maiora enim tormenta teneris portare; ideo a nobis sequestraberis.' Tunc autem et ipse iudicandus clamabat voce horrenda dicens: 'Ve, ve seminibus, que conuenerunt in ventre matris mee, de quibus formatus sum ego.' **9** Secundo eciam clamabat: 'Maledicta', inquit, 'sit hora, in qua anima mea cum corpore coniuncta fuit, et maledictus sit, qui dedit corpus et animam!' Tercio clamabat: 'Maledicta sit hora illa, in qua viuus de matris utero processi!' **10** Tunc contra eum venerunt tres horribiles voces de inferno dicentes: 'Veni ad nos, maledicta anima, quasi es fluens ad mortem perpetuam et vitam interminabilem!' Secundo clamabant: 'Veni, maledicta anima, vacua ad nostram maliciam! Nullus enim erit ex nobis, qui te malicia sua et pena non impleat.' **11** Tercio clamabant: 'Veni, maledicta anima, ponderosa quasi lapis, qui semper mergitur et numquam attingit fundum, in quo quiescat! Sic tu in profundum profundius nobis descendes, ut non possis subsistere, antequam veneris in yma abyssi.'

12 Et tunc ait Dominus: 'Ergo sicut homo, habens plures uxores et videns casum unius, auertit se ab illa et vertit se ad alias, que stant, et gratulatur cum eis, sic ego auerti faciem meam ab illo et misericordiam, et verto me ad famulos et seruos meos et gaudeo cum illis. **13** Propterea cum tu audisti casum illius et miseriam, ideo serui michi eo sincerius, quo maiorem misericordiam tecum feci! Fuge mundum et concupiscenciam eius! Numquid ego passionem tam amaram assumpsi propter gloriam mundi, vel quia celerius et leuius non potui consumare eam? Poteram utique. **14** Sed sic exigebat iusticia, ut, sicut homo in membris omnibus deliquerat, sic in omnibus satisfaciendum erat. Propter quod deitas, homini compaciens, tanta caritate exarsit ad unam virginem, ut de illa humanitatem susciperet, in qua humanitate sustineret Deus omnem penam, quam homo teneretur habere.

15 Ideo si ex caritate penam tuam suscepi in me, sta, sicut stant famuli mei, in vera humilitate, ut nichil erubescas, nichil timeas nisi me! Custodi os tuum, ut, si esset voluntas mea, tu numquam velles loqui. Non contristeris de temporalibus, quia caduca sunt, et ego ditare, quos voluero, et depauperare possum. Ideo, sponsa mea, pone spem tuam totaliter in me!"

Declaracio.

16 Hic homo fuit nobilis et canonicus et subdyaconus, qui, optenta falsa dispensacione, despousauit virginem diuitem. Sed preuentus morte subita non optinuit, quod concupiuit.

*Verba Virginis ad filiam de duabus dominabus, quarum una nominabatur Superbia et altera
Humilitas, per quam Virgo dulcissima designatur, et de occursu Virginis ad suos dilectos mortis sue
tempore. Capitulum XXIX.*

1 Mater Dei loquitur ad sponsam filii dicens: "Due sunt domine. Una est, que non habet nomen speciale, quia indigna est nomine; alia est Humilitas, que vocatur Maria. Super primam est dominus ipse dyabolus, quia sibi dominatur. **2** Huic domine dicebat miles suus: 'O domina, quidquid possum, facere pro te paratus sum, tantum ut fruar semel concubitu tuo. Nam ego sum fortis viribus, magnanimus corde, nichil timeo, et paratus sum ire in mortem pro te.' Cui illa respondit: 'Serue meus, magna est caritas tua. Sed ego sedeo in sublimi sede nec habeo nisi unam sedem, et inter nos sunt tres porte. **3** Prima porta est sic arta, ut, quidquid homo habuerit in corpore, si ingreditur per eam, omnia dirumpuntur et abstrahuntur. Secunda est sic acuta, quod pungit usque ad neruos. Tercia porta est sic ardens, quod nulla est requies ardoris, sed qui ingreditur per eam, statim liquecet sicut es. **4** Ego autem sedeo sublimiter et qui sedere vult tecum, cum non habeam nisi unam sedem, cadet ad chaos maximum subtus me.' Cui ille dyabolus respondit: 'Ego dabo vitam meam pro te, quia pro minimo est michi casus.'

5 Domina ista est Superbia, ad quam qui peruenire voluerit, ingredietur quasi per tres portas. Primam portam ingreditur, qui totum dat ad laudem hominum et pro superbia. Et si nichil habet, adhibet totam voluntatem suam, quomodo superbire et laudari possit. Secundam portam ingreditur ille, qui, quidquid laborat et quidquid facit, et totum tempus et cogitationes et omnes vires suas dat ad hoc, ut superbiam perficiat. **6** Et si eciam posset carnem suam lacerandam tradere causa honoris et diuiciarum, libenter faceret. Terciam portam ingreditur, qui numquam requiescit et numquam silet et totus quasi ignis ardet, quomodo perueniat ad aliquem honorem vel mundi superbiam. Sed cum optimuerit, quod cupit, non potest diu in eodem statu manere sed cadet miserabiliter. Nichilominus tamen superbia remanet in mundo."

7 "Ego autem", ait Maria, "que humillima sum, sedeo in sede sparsa et supra me non est sol nec luna nec stelle nec eciam nubes sed mira et inestimabilis claritatis serenitas, procedens a pulchritudine preclare maiestatis diuine. Infra me eciam non est terra vel lapides sed requies incomparabilis in virtute Dei. Iuxta me non est murus seu paries sed angelorum et sanctorum animarum gloriosus exercitus. **8** Et quamuis sic sublimiter sedeo, tamen audio amicos meos, in terra existentes, michi cotidie gemitus fundentes et lacrimas. Video labores eorum et efficaciam eorum maiorem quam illorum, qui pugnant pro sua domina superbia. Ideo ego visitabo eos et collocabo eos tecum in sede mea, quia sparsa est et omnes potest bene capere. Sed nondum ad me venire nec sedere tecum adhuc potuerunt, quia duo muri sunt adhuc inter nos, per quos fiducialiter deducam eos, ut ad sedem meam veniant.

9 Primus murus est mundus, qui est artus. Propterea serui mei in mundo consolabuntur per me. Secundus murus est mors. Ideo ego, carissima domina eorum et mater, obuiabo eis et occurram eis in morte, ut eciam in ipsa morte consolacionem et refrigerium habeant, et collocabo eos tecum in sede celestis gaudii, ut in brachio dilectionis perpetue et eterne glorie cum exultacione immensa eternaliter requiescant."

Verba Domini maxime caritatis ad sponsam de multiplicacione falsorum Christianorum ad Christi crucifixionem et quomodo, si possibile esset, adhuc est paratus ad iterum mortem pro peccatoribus suscipiendam. Capitulum XXX.

1 "Ego sum Deus, qui omnia creaui ad utilitatem hominis, ut illa omnia seruirent homini et edificant eum. Sed homo omnibus, que ei creaui ad utilitatem suam, abutitur in suum dampnum. Insuper et de Deo minus curat et eum minus diligit quam creaturam.

2 Iudei fecerunt michi tria genera penarum in passione mea: primo lignum, quo affixus sum et flagellatus et coronatus; secundo ferrum, quo affixerunt manus meas et pedes; tertio potum fellis, quo potauerunt me. Deinde blasphemabant me fatuum esse propter mortem, quam libenter sustinebam, et vocabant me mendacem propter doctrinam meam. **3** Tales nunc in mundo multiplicati sunt et pauci faciunt michi consolacionem. Nam affigunt me ligno per voluntatem peccandi, flagellant me per impacienciam, quia unum verbum pro me nullus ferre potest. Et coronant me spina superbie sue, qua alciores me esse volunt. Pungunt manus meas et pedes ferro induracionis, quia gloriantur de peccato et indurant se, ne timeant me.

4 Pro felle offerunt michi tribulacionem, pro passione, ad quam letus iui, dicunt me mendacem et fatuum. Ego enim potens sum submergere eos et totum mundum propter peccata sua, si vellem. Et tunc, si submergerem eos, illi, qui remanerent, seruirent michi ex timore, sed hoc non esset iusticia, quia ex caritate deberet michi homo seruire. **5** Si autem personaliter venirem inter eos visibilis, oculi eorum non sustinerent videre me nec aures audire me. Quomodo enim homo mortalis posset videre immortalem? Adhuc quippe ex caritate libenter iterum morerer pro homine, si esset possibile."

6 Tunc apparuit beata virgo Maria, cui dixit filius: "Quid vis, mater mea, electa mea?" Et ait illa: "Miserere creature tue, fili mi, propter caritatem tuam!" Et ille respondit: "Adhuc semel misericordiam faciam propter te." **7** Deinde loquebatur Dominus ad sponsam suam dicens: "Ego sum Deus tuus et Dominus angelorum. Ego sum Dominus super mortem et vitam. Ego idem volo habitare in corde tuo. Ecce, quantam caritatem habeo ad te! **8** Celi et terra et omnia, que in eis sunt, non possunt capere me et tamen in corde tuo, quod non est nisi modicum frustum carnis, habitare volo. Quem ergo tunc poteris timere quibusue indigere, cum tu habeas intra te potentissimum Deum, in quo est omne bonum?

9 Ergo in corde, quod est habitaculum meum, debent esse tria: lectus, in quo requiescamus, sedes, in qua sedeamus, lumen, quo illuminemur. In corde igitur tuo sit lectus quiescendi seu quietudinis, ut quiescas a prauis cogitationibus et desideriis mundi. Et semper considera gaudium eternum! **10** Sedes debet esse voluntas manendi tecum, eciam si quandoque contingat excedere. Contra naturam enim est semper stare. Ille namque semper stat, qui semper habet voluntatem essendi cum mundo et numquam sedere tecum. Lux, seu lumen, debet esse fides, qua credas me omnia posse et omnipotentem esse super omnia."

Qualiter sponsa videbat dulcissimam virginem Mariam coronam et aliis ornamenti inestimabiliter decoratam et quomodo sponse sanctus Iohannes Baptista, quid per coronam etcetera designetur, declarat. Capitulum XXXI.

1 Videbat sponsa reginam celi, matrem Dei, habentem preciosam coronam inestimabilem in capite suo et capillos extensos super spatulas admirabilis pulchritudinis, tunicam auream splendore indicibili coruscantem et mantellum de azuro seu sereni celi coloris. **2** Cumque de tam speciosa visione

vehementer admiraretur sponsa et in tali admiracione tota staret quodam interno stupore suspensa, illico apparuit ei beatus Iohannes Baptista, qui ait illi: **3** "Audi diligenter, quid hoc notat! Corona igitur notat, quod regina et domina est et mater regis angelorum. Capilli protensi, quod virgo est purissima et immaculata. Mantellum celi coloris, quod omnia temporalia erant ei quasi mortua. Tunica aurea notat, quod diuina caritate ardens et feruida fuit interius et exterius.

4 In corona autem eius posuit filius eius septem lilia et inter hec lilia posuit septem lapides. Primum igitur lilyum est eius humilitas, secundum timor, tertium obediencia, quartum pacienza, quintum stabilitas, sextum mititas, quia mitis est dare omnibus potentibus; septimum est misericordia in necessitatibus. In quacumque enim necessitate fuerit homo, si hanc toto corde inuocauerit, saluabitur.

5 Inter hec fulgencia lilia posuit filius eius septem lapides preciosissimos. Primus lapis est virtuositas singularis, quia non est aliqua virtus in aliquo spiritu siue in corpore aliquo, qua ipsa hanc eandem virtutem non habeat excellencius. **6** Secundus lapis est perfectissima mundicia, quia ista regina celi sic pura fuit, quod una macula peccati inueniri numquam potuit in ea a principio ingressus eius in mundum usque ad ultimam diem mortis ipsius. Nec omnes dyaboli tantam impuritatem reperire poterant in ea, ubi cuspis acus poni posset. Ipsa vere erat purissima. Nam non decuit regem glorie iacere nisi in vase purissimo et mundissimo et electissimo pre omnibus angelis et hominibus.

7 Tercius lapis fuit pulchritudo eius, quia Deus de pulchritudine eiusdem matris sue iugiter laudatur a sanctis suis et gaudium sanctorum angelorum et omnium sanctorum animarum impletur ex pulchritudine eius. **8** Quartus lapis preciosus corone est sapiencia eiusdem virginis matris, quia ipsa impleta est omni diuina sapiencia cum Deo et ex ea omnis impletur et perficitur sapiencia. **9** Quintus lapis est fortitudo, quia ipsa sic est fortis cum Deo, quod omnia, quecumque creata et facta sunt, potest deprimere. **10** Sextus eciam lapis est claritas eius, que sic clara est, quod angeli, qui habent oculos clariores luce, illuminantur ex ea et demones non audent respicere in claritatem eius. **11** Septimus lapis est plenitudo omnis delectacionis et eciam spiritualis dulcedinis, que in ea sic plena est, quod non est aliquod gaudium, quod non augeatur ex ea, nulla delectacio, que non plenior fit et perficiatur ex ea et ex eius visione beata, quia ipsa impleta et repleta est gracia ultra omnes sanctos. Ipsa est enim puritatis vas, in quo iacuit panis angelorum et in quo est omnis dulcedo et pulchritudo.

12 Hos septem lapides posuit filius eius inter hec septem lilia, que erant in corona eius. Ipsam ergo, o sponsa filii eius, honora et lauda toto corde tuo, quia vere ipsa est omni laude et honore digna!"

Qualiter sponsa, ammonitione Dei preuenta, elegit sibi paupertatem et renuit diuicias et carnalitatem et de veritate in sibi reuelatis et de tribus notabilibus, a Christo sibi ostensis. Capitulum XXXII.

1 "Tu debes esse sicut homo, qui relinquit et sicut, qui congregat. Debes enim relinquere diuicias et congregare virtutes, relinquere casura et congregare eterna, relinquere visibilia et congregare inuisibilia. Dabo enim tibi pro delectacione carnis anime exultacionem, pro iocunditate mundi iocunditatem celi, pro honore mundi honorem angelorum, pro visione parentum visionem Dei, pro possessione bonorum me ipsum, datorem et creatorem omnium.

2 Dic michi tria, que quero a te! Primo, si vis esse diues in hoc seculo an pauper." Et illa respondit: "Domine, volo magis esse pauper, quia diuicie nichil boni faciunt michi nisi quandam sollicitudinem

et retrahunt me a seruicio tuo.” **3** ”Dic michi secundo, numquid inuenisti in verbis meis, que audisti de ore meo, aliquid reprehensibile secundum cor tuum vel falsum?” Et illa: ”Non certe, quia omnia sunt secundum rationem.” **4** ”Tercio dic michi, utrum tibi placet delectacio carnis, quam prius habuisti, an delectacio spiritus, quam nunc habes?” Et illa respondit: ”Pudor est in corde meo cogitare de illa carnis delectacione priori et est michi nunc quasi venenum et eo amarior nunc, quo prius dilexi eam feruencius. Mallem enim mori quam umquam in illam redire, et nulla est comparacio istius spiritualis delectacionis ad illam.”

5 ”Ergo”, inquit, ”probas in te ipsa omnia esse vera, que tibi dixeram. Quid ergo times vel cur sollicitaris, quia protraho ea, que facienda tibi dixi? Considera prophetas, considera apostolos et sanctos doctores! Numquid inuenerunt in me aliquid nisi veritatem? Ideo non curauerunt de mundo nec de eius concupiscencia. **6** Aut cur prophete tam longe vaticinati sunt de futuris, nisi quia voluit Deus, quod verba primo innotescerent, deinde venirent opera, et ut ad fidem erudirentur imperiti? Omnia nempe mysteria incarnacionis mee antea innotuerunt prophetis, eciam stella, que precedebat magos, qui credentes verbis prophete meruerunt videre, quod crediderunt, et visa stella cicius certificati sunt. **7** Sic nunc verba mea prius debent annunciar et postea, cum venerint opera, euidencius credetur eis.

8 Tria ostendi tibi. Primo unius conscienciam, cuius peccatum cum manifestarem, signis euidentissimis probau. Sed quare? Numquid non possem eum interficere personaliter? Aut non possem eum demergere in puncto, si vellem? Utique possem. **9** Sed propter erudicionem aliorum et euidenciam verborum meorum ut ostendam, quam iustus sim et paciens et quam infelix ille est, cui dominatur dyabolus, ideo suffero eum adhuc. Nam ex voluntate, quam habet esse in peccato, et ex delectacione illius sic aucta est in eum potestas dyaboli, quod nec lenitas verborum nec austeritas minarum nec timor gehenne potest eum reuocare. **10** Et bene digne, quia, cum semper habuerat voluntatem peccandi, eciam si non prodiret in opus, merito traderetur in eternum dyabolo. Quia minimum peccatum, quicumque in eo delectatur nec emendat, satis est ei ad perdicionem.

11 Duos alios ostendi tibi. Quorum alterius corpus vexabat dyabolus, sed non erat in anima; alterius conscienciam fallacia sua obumbrabat nec tamen in eius anima erat nec potestatem habuit super illam. **12** Sed forte potes querere: ’Numquid non idem sunt conscientia et anima? Numquid non tunc est in anima, cum est in conscientia?’ Nequaquam. Sed sicut corpus habet duos oculos, quibus videt, et licet ab eis auferatur visus, corpus tamen nichilominus sanum esse potest, sic in anima est. Nam licet intellectus et conscientia quandoque perturbantur quantum ad penam, non tamen semper leditur anima quantum ad culpam. Et ideo preualuit dyabolus in conscientia unius, non in anima.

13 Tercium ostendam tibi, in cuius anima et corpore totaliter dominatur dyabolus. Qui, nisi potencia mea et gracia speciali coactus, numquam ab eo expelletur nec ab eo exhibit. Ab aliquibus quippe hominibus exit dyabolus libenter et cito et ab aliquibus non nisi inuitus et coactus. **14** Nam in aliquos intrat dyabolus vel propter delictum parentum vel propter aliquod occultum iudicium Dei, utputa in pueros et insipientes; in aliquos propter infidelitatem vel aliud aliquod peccatum. Ab hiis libenter exit demon, si eicitur ab hiis, qui sciunt coniuraciones vel artem talem eiciendi demones, si ipsi faciunt talem eiectionem propter vanam gloriam vel propter aliquod lucrum temporale, quia dyabolus habet potestatem ingrediendi in illum, qui eiecit, et in illum iterum, a quo eiectus est, quia in neutro diuina caritas fuit.

15 Ab illis autem, quorum animam et corpus totaliter possidet, numquam exit nisi per meam potentiam. Sicut enim acetum, si vino dulcissimo misceatur, totam vini dulcedinem inficit et numquam ab eo separatur, sic nec dyabolus ab alicuius anima exit, quam possidet, nisi per meam potentiam. **16** Quid est autem hoc vinum nisi anima, que michi dulcissima fuit super omnem creaturam, que michi sic cara fuit, ut neroos meos incidi et carnes meas lacerari usque ad costas fecerim pro ea? Et, antequam ea carerem, eciam mortem recepi pro ea. **17** Hoc vinum conseruabatur in fece, quia ipsam animam posui in corpore, in quo tamquam in vase clauso custodiebatur ad meam voluntatem. Sed huic dulci vino mixtum est pessimum acetum, idest dyabolus, cuius malicia est michi acrior et abhominabilior omni aceto. **18** Hoc acetum per meam potentiam ab homine isto, cuius nomen tibi dico, separabitur, ut in isto ostendam misericordiam meam et sapienciam, in priori vero iudicium meum et iusticiam.”

Declaracio.

19 Primus fuit nobilis et cantor superbus, qui, sine licencia pape Ierosolimam profectus, arreptus est a dyabolo. De isto demoniaco habetur eciam libro III^o capitulo XXXI^o et in IV^o libro capitulo CXV^o.

20 Secundus demoniacus eiusdem capituli fuit monachus ordinis Cisterciensis, quem dyabolus tantum vexabat, quod vix a quatuor teneri potuit. Cuius lingua extracta videbatur quasi bouis, cuius vincula manuum inuisibiliter confringebantur. Iste per dominam Birgittam post mensem et duos dies per verba sancti Spiritus saluatus est.

21 Tercius demoniacus fuit exactor Osgocie, qui, cum moneretur ad penitenciam, dixit monenti: ”Numquid habitator domus sedere poterit, ubi sibi placuerit? Dyabolus tenet cor et linguam meam. Quomodo possum penitere?” Qui eciam maledicens sanctis Dei ipsa nocte sine sacramentis et confessione mortuus est.

*Verba ammonicionis Domini ad sponsam de vera et falsa sapiencia et qualiter boni angeli bonis
sapientibus et dyaboli malis sapientibus assistunt. Capitulum XXXIII.*

1 ”Amici mei aliqui sunt quasi scolares mei, qui habent tria: primo conscientiam intelligentem supra naturam cerebri, secundo sapienciam sine homine, quia personaliter doceo eos intus; tertio pleni sunt dulcedine et diuina dilectione, qua vincent dyabolum.

2 Sed econtrario nunc addiscunt homines. Primo volunt esse scientes propter iactanciam, ut dicantur boni clerici. Secundo volunt esse scientes, ut habeant et optineant diuicias. Tercio volunt esse scientes, ut optineant honores et dignitates. **3** Propterea, cum adeunt scolas suas et ingrediuntur, ego exeo ab eis, quia ipsi addiscunt propter superbiam, et ego eos docui humilitatem. Ipsi ingrediuntur propter cupiditatem, et ego non habui, ubi caput meum reclinarem. Ipsi ingrediuntur, ut habeant dignitates, inuidentes aliis esse se superiores, et ego iudicabar a Pilato et ab Herode deridebar. **4** Ideo ego exeo ab eis, quia non addiscunt doctrinam meam. Sed tamen, quia mitis sum et bonus, do unicuique, quod petit. Qui enim petit a me panem, ipse habebit. Qui autem stramen, dabitur ei.

5 Amici autem mei ipsi petunt panem, quia sapienciam diuinam, in qua est caritas mea, querunt et addiscunt. Sed alii petunt stramen, idest mundialem sapienciam. Quia, sicut in stramine nulla est

utilitas et cibus animalium irrationabilium est, sic in mundi sapiencia, quam ipsi querunt, nulla est utilitas, nulla anime refeccio nisi tantum nomen modicum et labor vacuus, quia, cum homo moritur, omnis sapiencia eius annichilatur et a quibus laudabatur non potest videri.

6 Unde ego sum quasi magnus dominus, multos habens seruos, qui dispensant ex parte domini, que omnibus necessaria sunt. Sic angeli boni et mali stant ad imperium meam. **7** Qui autem sapienciam meam, idest seruire michi, addiscunt, hiis administrant boni angeli, reficientes eos consolacione et delectabili labore. Sapientibus autem mundi assistunt angeli mali, qui eis, quod volunt, inspirant et informant eos iuxta voluntatem eorum et inspirant cogitationem cum labore magno. **8** Verumptamen si ad me respicerent, ego sufficerem dare eis panem absque labore et mundum ad sacietatem, de quo numquam saciantur, quia dulce vertunt sibi in amarum.

9 Tu autem, sponsa mea, debes esse quasi caseus, corpus tuum quasi formella, in qua caseus, donec figuram formelle habuerit, formabitur. Sic anima tua, que est michi dulcis et delectabilis sicut caseus, tam diu probari et purgari debet in corpore, donec corpus et anima in unum concordent et unam formam continencie ambo tenuerint, ut caro obediat spiritui et spiritus carnem regat ad omnem virtutem.”

Doctrina Christi ad sponsam de modo viuendi et qualiter dyabolus Christo fatetur sponsam ipsum Christum super omnia diligere et de questione facta per dyabolum Christo, cur tantum ipsam diligenter, et de caritate per dyabolum patefacta, quam Christus habet ad sponsam. Capitulum XXXIV.

1 ”Ego sum creator celi et terre, qui in utero virginis verus Deus et verus homo fui, qui mortuus fui et resurrexi et ascendi in celum. **2** Tu, noua sponsa mea, venisti in ignotum locum. Oportet ergo te habere quatuor: primo scire loquelas loci, secundo habere vestes debitas, tertio scire disponere dies et tempora iuxta constitutionem loci, quarto nouis cibis assuescere.

3 Sic tu, quia de mundi instabilitate venisti ad stabilitatem, ideo oportet te eciam habere loquelas nouam, idest abstinenciam ab inutilibus verbis et quandoque eciam a licitis propter grauitatem silencii et taciturnitatis. **4** Vestes tue debent esse humilitas interior et exterior, ut nec extollas te quasi aliis sanciorem interius nec erubsescas coram hominibus exterius exhibere te humilem. **5** Tercio moderacio temporis tui est, ut, sicut ad corporis necessitatem habuisti plura tempora, sic nunc unum tempus habeas ad animam, ut scilicet numquam contra me velis peccare. **6** Quarto nouus cibus est abstinencia a gula et a delicioribus cum omni discrecione, prout natura ferre possit. Quidquid enim fit abstinencie ultra possibilitatem nature, michi non placet, quia rationabilia requiro et ut voluptas edometur.”

7 Tunc in eodem momento apparuit dyabolus. Cui dixit Dominus: ”Tu fuisti creatus in me et vidisti omnem iusticiam in me. Responde michi, si ista noua sponsa est legitime mea et cum approbata iusticia! Permitto enim te videre cor eius et intelligere, ut scias, quid respondeas michi. Numquid ipsa diligit aliquid sicut me, aut vellet aliquid cambii recipere pro me?” **8** Cui demon respondit: ”Nichil diligit sicut te et, antequam te careret, omne supplicium magis pateretur, si dares ei virtutem paciecie. **9** Ego video quasi quoddam ardens vinculum descendere de te in eam, quod sic alligat cor eius, ut nichil aliud cogitet vel diligit nisi te.”

10 Tunc Dominus ait ad dyabolum: "Dic michi, quomodo sedet in corde tuo aut quomodo tibi placet ista tanta dileccio mea, quam habeo ad eam?" **11** Et dyabolus ait: "Ego", inquit, "habeo duos oculos, unum corporalem, licet non sim corporalis, quo temporalia cerno ita clare, quod nichil est sic occultum, nichil sic tenebrosum, quod occultare se possit a me. **12** Secundus oculus est spiritualis, cum quo nulla est pena tam modica, quam non video et intelligo, ad quod peccatum pertineat. **13** Et nullum eciam peccatum tam leue et modicum, quod penitencia non purgatum est, quod non video. Sed licet nulla membra passibilia sint oculis, libentissime tamen paterer, ut due ardentes faces penetrarent oculos meos sine intermissione ad hoc, ut ipsa oculis spiritualibus non videret.

14 Ego eciam habeo duas aures, unam corporalem, qua nullus loquitur sic secrete, quod non audio et scio. Secunda est spiritualis, qua nullus cogitat vel affectat ad aliquod peccatum tam occulte, quod non audiam, nisi penitencia deletum sit.

15 Una est pena inferni, ebulliens quasi torrens, emanans ardore vehementissimo. Hanc libenter paterer influere et sine cessacione effluere in aures meas ad hoc, ut nichil audiret ipsa spiritualibus auribus.

16 Ego eciam habeo spirituale cor, quod libenter paterer in frusta sine cessacione incidi et semper renouari ad supplicium ad hoc, ut eius cor frigesceret in amore tuo. **17** Nunc autem, quia tu iustus es, quero a te unum verbum, ut respondeas michi: Dic michi, quare tu in tantum diligis eam aut quare non elegisti tibi sanciorem, diciorem et pulchriorem?" **18** Cui respondit Dominus: "Quia sic exigebat iusticia. Tu quippe fuisti creatus in me et vidisti omnem iusticiam in me. Dic michi, ista audiente, que fuit iusticia, ut sic male caderes, au qualis fuit cogitacio tua tunc, cum cecidisti!"

19 Respondit dyabolus: "Ego vidi in te tria: ego vidi gloriam tuam et honorem super omnia et cogitabam gloriam meam. Ideo superbiens proposui non tantum tibi esse par sed eciam super te. **20** Secundo vidi te esse potenciorum pre omnibus. Ideo cupiebam adhuc te esse potencior. Tercio vidi, que futura erant, et quia gloria tua et honor est sine principio et esset sine fine, inuidiebam tibi et cogitabam, quod libenter cruciarer semper omni pena amarissima ad hoc, ut tu morereris. Et in tali cogitatione cecidi. Et ideo infernus est factus."

21 Respondit Dominus: "Tu quesisti a me, quare istam sic dilexerim. Certe quia omnem maliciam tuam commuto in bonum. Tu enim quia superbus factus es et nolusti me, creatorem tuum, habere parem, ideo ego, humilians me in omnibus, peccatores colligo et me eis comparo, dando eis gloriam meam. **22** Secundo, quia tu tam prauam cupiditatem habuisti, ut velles esse potencior me, ideo ego peccatores potentes facio super te et potentes tecum. **23** Tercio, quia tu inuidisti michi, ego sic caritatiuus sum, ut me pro omnibus offerrem."

24 Deinde et Dominus ait: "Nunc, dyabole, illuminatum est tenebrosum cor tuum. Dic, ista audiente, qualem caritatem ego habeo ad illam!" Et dyabolus: "Si possibile esset", inquit, "libentissime patereris unam penam talem in quolibet membro tuo specialiter, qualem semel in cruce in omnibus membris passus es, antequam ea careres." **25** Tunc respondit Dominus: "Si ergo sic misericors sum, ut nulli petenti veniam denegem, pete humiliter et tu misericordiam a me, et dabo tibi." **26** Cui respondit dyabolus: "Nequaquam hoc faciam. Nam quando cecidi, ad quodlibet peccatum, siue cogitatum inutile siue dictum, statuta est pena, et unusquisque de spiritibus, qui ceciderunt, penam suam habebit. **27** Igitur antequam curuarem genu meum coram te, magis vellem omnes penas glutire in me, quamdiu os aperiri et claudi posset ad penam, ita ut semper renouatus essem ad penam."

28 Tunc ait Dominus ad sponsam suam: "Ecce quam induratus est princeps mundi et quam potens contra me ex occulta iusticia mea! Ego quippe possem delere eum ex potentia mea in uno puncto sed non facio ei maiorem iniuriam quam angelo bono in celo. Cum autem tempus eius venerit, quod nunc appropinquat, iudicabo eum cum sequacibus suis. **29** Ideo, sponsa mea, procede semper in bonis operibus! Dilige me toto corde! Nichil timeas nisi me! Ego enim sum dominus super dyabolum et super omnia, quecumque sunt."

Verba Virginis ad sponsam, proprium dolorem in Christi passione explicancia, et qualiter per Adam et Euam mundus fuerit venditus et per Christum et eius matrem virginem fuerit redemptus. Capitulum

XXXV.

1 Maria loquebatur: "Considera, filia, passionem filii mei! Cuius membra fuerunt michi quasi membra mea et quasi cor meum. Nam ipse, sicut alii filii in visceribus matris solent esse, sic fuit in me. Sed ipse conceptus est ex feruenti caritate diuine dilectionis, alii autem ex concupiscencia carnis. **2** Unde bene dicit Iohannes, frater consobrinus eius: 'Verbum caro factum est.' Nam per caritatem ipse venit et erat in me. Verbum autem et caritas ipsum fecerunt in me. Ipse quippe erat michi quasi cor meum. **3** Propterea, cum nasceretur ex me, sensi ego, quod quasi dimidium cor meum nasceretur et exiret ex me. Et cum ipse pateretur, sensi, quod quasi cor meum paciebatur. **4** Sicut enim illud, quod dimidium est extra et dimidium intra, et si illud pungitur, quod extra est, eque sentit dolorem, quod intus est, sic ego, cum flagellaretur et pungeretur filius meus, quasi cor meum flagellabatur et pungebatur.

5 Ego eciam fui propinquior ei in passione nec separabar ab eo. Ego stabam vicinus cruci eius et sicut hoc grauius pungit, quod vicinus est cordi, sic dolor eius grauior erat pre ceteris michi. **6** Cumque respexit ad me de cruce et ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lacrime exibant. Et cum ipse me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum suorum erat quasi sopitus sibi pre dolore meo, quem in me videbat. **7** Propterea audacter dico, quia dolor eius erat dolor meus, quia cor eius cor meum. Sicut enim Adam et Eua vendiderunt mundum pro uno pomo, sic filius meus et ego redemimus mundum quasi cum uno corde. Ideo, filia mea, cogita, qualis ego eram in morte filii mei, et non erit tibi graue relinquere mundum."

Responsio Domini angelo, oranti pro sponsa, quod sponse corporis et anime tribulacio concedatur et quod magis perfectis maiores tribulaciones tribuantur. Capitulum XXXVI.

1 Angelo, oranti pro sponsa Domini sui, respondit Dominus: "Tu es quasi miles Domini, qui numquam depositit galeam suam propter tedium et qui pro timore numquam diuertit oculos a prelio. **2** Tu es stabilis quasi mons, ardens quasi flamma. Tu es sic mundus, ut nulla sit in te macula. Tu petis misericordiam sponse mee. Licet omnia scias et videas in me, tamen, ista audiente, dic, qualem misericordiam petis ei! **3** Triplex enim est misericordia: una, qua corpus punitur et parcitur anime, sicut famulus meus Iob, cuius caro data est omnibus doloribus et anima seruata est; secunda misericordia est, qua parcitur corpori et anime a pena, sicut rex ille, qui in omnibus voluptatibus fuit et nullum dolorem nec ad corpus nec ad animam, in mundo dum viueret, habuit; tercia eciam

misericordia est, qua punitur corpus et anima, ut et tribulacionem habeant in carne et dolorem in corde, sicut Petrus et Paulus et alii sancti.

4 Nam tres sunt status hominum in mundo: unus eorum, qui cadunt in peccata et iterum surgunt. Hos permitto quandoque tribulari ad corpus, ut salui fiant. **5** Secundus est eorum, qui in eternum libenter viuerent, ut in eternum peccarent, qui totam voluntatem habent ad mundum, et, si quandoque aliqua faciunt pro me, hac intencione faciunt, ut temporalia eis succrescant et proficiant. **6** Hiis non datur pena corporis nec dolor magnus cordis, sed in potestate propria et voluntate sua dimittuntur, quia pro minimo bono, quod fecerunt pro me, recipient hic mercedem suam, ut in eternum crucientur, quia, cum voluntas est eterna ad peccatum, pena erit eis eterna. **7** Tercius status est eorum, qui plus timent peccare contra me et offendere voluntatem meam quam de aliqua pena. Magisque in eternum cruciarentur pena intolerabili quam me scienter ad iram prouocarent. **8** Hiis datur tribulacio corporis et cordis, ut Petro et Paulo et aliis sanctis, ut, quidquid in hoc mundo deliquerint, in mundo emendent, vel ad maiorem gloriam et aliorum exemplum purgantur ad tempus. Hanc triplicem misericordiam feci in regno isto cum tribus, quorum nomina nota sunt tibi.

9 Nunc ergo, angele, serue meus, qualem misericordiam petis sponse mee?" Et ille "Anime", inquit, "et corporis, ut, quidquid hic deliquerit, in mundo emendet et nullum peccatum eius veniat in iudicium tuum." Respondit Dominus: "Fiat secundum voluntatem tuam!"

10 Deinde loquebatur ad sponsam: „Tu mea es. Ideo, sicut michi placet, faciam tecum. Nichil dilige sicut me! Munda te iugiter a peccato omni hora cum consilio eorum, quibus te commiseram! Nullum peccatum cela! Nullum dimitte indiscresum! Nullum peccatum puta leue, nullum negligendum! **11** Nam omnia, quecumque tu neglexeris, ego reducam ad memoriam et iudicabo. Nam nullum peccatum tuum in iudicium meum veniet, quod in vita tua penitencia erit punitum. De quibus autem penitencia facta non est, vel in purgatorio purgabuntur vel alio occulto iudicio meo, nisi satisfaccione hic emendentur.”

Verba Matris ad sponsam, excellenciam sui filii ponencia, et qualiter Christus acrius nunc ab inimicis, malis Christianis, crucifigitur quam a Iudeis fuerit crucifixus et per consequens, quod tales acrius et amarius punientur. Capitulum XXXVII.

1 Mater loquebatur: "Filius meus habuit tria bona. Primo, quia nullus sic delicatum corpus habuit sicut ipse, eo quod erat de duabus naturis optimis, diuinitate scilicet et humanitate, et ita mundum, quod, sicut in oculo clarissimo non inuenitur macula, sic nec in ipsis corpore aliqua deformitas inueniri potuit. **2** Secundum bonum erat, quod numquam peccauit. Nam alii filii portant quandoque peccata parentum suorum et propria; iste enim numquam peccauit et tamen omnium peccata portauit. **3** Tercium erat, quod aliqui moriuntur propter Deum et maiorem remuneracionem. Ipse autem moriebatur sic propter inimicos suos sicut propter me et amicos eius.

4 Sed quando inimici eius crucifierunt eum, quatuor ei fecerunt: Primo coronauerunt eum spinis, secundo manus et pedes perforauerunt, tertio propinauerunt ei fel, quarto pupugerunt latus eius. **5** Sed nunc conqueror, quod filius meus ab inimicis suis, qui nunc sunt in mundo, amarius crucifigitur quam tunc Iudei crucifierunt eum. Nam licet dicas, quod impassibilis sit nec mori possit, tamen cum

propriis viciis crucifigunt eum. **6** Sicut enim aliquis homo ymagini alicuius inimici sui contumeliam et lesionem faceret, licet ymago non sentiret illata, tamen propter malam voluntatem ledendi lesor quasi pro opere argueretur et diiudicaretur, sic eorum vicia, quibus spiritualiter crucifigunt filium meum, abhominabiliora et grauiora sunt ei quam illorum, qui crucifixerunt eum in corpore.

7 Sed forte tu potes querere: 'Quomodo crucifigunt eum?' Utique, primo ponunt eum in cruce, quam sibi preparauerant, quando de preceptis creatoris sui et Domini non curant, et dehonestant eum, quando ipse monet eos per seruos suos seruire sibi, et ipsi hoc contempnentes faciunt, que sibi placent. **8** Deinde crucifigunt dexteram manum, quando tenent iusticiam pro iniusticia, dicentes: 'Peccatum non est sic graue et odiosum Deo, sicut dicitur, nec Deus in eternum affligit quemquam sed propter timorem minatus est. Quare enim redimeret hominem, si vellet eum perire?', non attendentes, quod minimum peccatum, si homo delectatur in eo, satis est ei ad supplicium eternum. **9** Et quia non minimum peccatum dimittit Deus impunitum, sicut non minimum bonum sine remuneracione, ideo sempiternum erit eis supplicium, quia sempiternam habent voluntatem peccandi, quam filius meus, qui videt cor, reputat pro opere. Quia, sicut habent voluntatem, sic eciam opere complerent, si permetteret filius meus.

10 Deinde crucifigunt sinistram manum eius, quando virtutem vertunt in vicium, volentes usque in finem peccare, dicentes: 'Si dixerimus in fine semel "Miserere mei, Deus!", tanta est misericordia Dei, quod habebimus veniam.' **11** Hoc non est virtus, velle peccare et non emendare, velle premium habere sine labore, nisi esset contricio in corde, quod libenter vellet emendare, si posset pre infirmitate vel aliquo alio impedimento.

12 Postea crucifigunt pedes eius, quando delectantur in faciendo peccatum et non semel cogitant amaram penam filii mei nec regraciantur ei semel de intimo corde, dicentes: 'O quam amara erat passio tua, Deus! Laus tibi sit pro morte tua!' Hoc numquam procedit de ore eorum.

13 Coronant eum deinde corona derisionis, quando derident seruitores eius et vanitatem reputant seruire ei. Dant ei fel bibere, quando gaudent et exultant in peccato. Nec semel ascendit in cor eorum, quam graue et quam multiplex sit. Pungunt latus eius, quando voluntatem habent perseverandi in peccato.

14 Vere dico tibi, et hoc amicis meis dicere poteris, quod tales sunt ante filium meum iniustiores iudicantibus eum, immiciores crucifixoribus eius, impudenciores venditoribus eius, et maior pena debetur istis quam illis. **15** Pilatus quippe sciuit bene filium meum non peccasse nec dignum aliqua morte. Tamen, quia timuit amissionem temporalis potestatis et sedicionem Iudeorum, iudicauit quasi inuitus filium meum ad mortem. **16** Quid autem haberent isti timere, si ei seruirent? Aut quid de honore suo et dignitate amitterent, si ipsum honorarent?

17 Ideo grauius isti iudicabuntur et deteriores sunt Pilato in conspectu filii mei, quia Pilatus iudicauit eum propter petitionem et voluntatem aliorum cum timore quodam. Isti autem iudicant eum propter utilitatem propriam absque timore, quando inhonorant eum propter peccatum, a quo, si vellent, possent abstinere. **18** Sed nec a peccato abstinent nec pro peccato facto verecundantur, quia non attendunt, quod indigni sunt beneficiis eius, cui non seruunt.

19 Deteriores sunt Iuda, quia Iudas, tradito Domino, sciuit bene ipsum esse Deum et grauiter contra eum peccasse, sed desperauit se ipsum et properauit dies suos ad infernum, credens se indignum

viuere. **20** Isti autem bene sciunt peccatum suum et tamen perseuerant in eo, nullam pro hoc in corde compunctionem habentes, sed volunt cum violencia et potencia quadam sumere regnum celorum, quando hoc non operibus sed propter spem vanam habere cogitant, quod nulli dabitur nisi operanti et pacienti aliquid pro Deo.

21 Deteriores sunt eciam crucifixoribus, quia illi, cum viderunt opera filii mei bona, scilicet quod resuscitauit mortuos, leprosos mundauit, cogitabant apud se: **22** 'Hic facit inaudita et mirabilia inusitata, nam prosternit, quos vult, uno verbo, scit cogitationes nostras, facit, quecumque vult. Si processum suum habebit, omnes subiciemur potestati eius et subditi eius erimus.' Ideo, ne subicerentur ei, crucifixerunt eum propter inuidiam. Si enim sciuisserint, quod fuisset rex glorie, numquam crucifixissent eum.

23 Isti autem vident opera eius cotidie et magna mirabilia, utuntur beneficiis eius et audiunt, quomodo ei seruire debent et ad eum venire, sed cogitant apud se: **24** 'Si omnia temporalia relinquenda sunt, si voluntas eius et non nostra facienda est, graue est hoc et intolerabile.' **25** Ideo contempnentes voluntatem eius, ne sit super voluntatem eorum, crucifigunt filium meum per induracionem, addentes contra conscientiam suam peccatum super peccatum. **26** Isti autem peiores sunt crucifixoribus, quia Iudei fecerunt propter inuidiam et quia nesciebant eum esse Deum. Isti autem sciunt eum esse Deum et ex malicia sua et presumpcione causa proprie cupiditatis crucifigunt eum amarius spiritualiter quam illi carnaliter, quia isti redempti, illi nondum redempti erant.

27 Ergo, sponsa, obedi filio meo et time eum, quia ipse, sicut est misericors, sic est eciam et iustus!"

*Collocucio grata Dei Patris et Filii adinuicem et qualiter Pater tradidit Filio nouam sponsam et
Filius eam in suam gratanter recepit et quomodo sponsus informat sponsam de pacientia et
simplicitate per exemplum. Capitulum XXXVIII.*

1 Pater loquebatur ad Filium: "Ego veni cum caritate ad virginem et sumpsi verum corpus tuum ex ea. Ideo tu in me et ego in te. Sicut ignis et calor numquam separantur, sic deitatem ab humanitate impossibile erit separari." **2** Respondit Filius: "Omnis gloria et honor sit tibi, Pater! Fiat voluntas tua in me et mea in te!" **3** Respondit iterum Pater: "Ecce, fili, hanc nouam sponsam assigno tibi quasi ouem ad regendum et nutriendum. De qua, tamquam possessor ouis, habebis caseum ad reficiendum et lac ad bibendum et lanam ad vestiendum. **4** Tu autem, sponsa, debes obedire ei. Ad te enim pertinent tria: oportet te esse pacientem, obedientem et libentem."

5 Tunc ait Filius ad Patrem: "Tua voluntas cum potestate, potestas cum humilitate, humilitas cum sapiencia, sapiencia cum misericordia. Fiat voluntas tua, que est et erit sine principio et sine fine in me! Ego assumo eam michi in meam caritatem, in tuam potentiam et Spiritus sancti regimen, qui non tres dii sed unus Deus."

6 Tunc ait Filius ad sponsam suam: "Audisti, quomodo Pater assignauit te michi quasi ouem. Oportet ergo te esse simplicem et pacientem quasi ouem et fructuosam ad nutriendum et vestiendum. **7** Tres enim in mundo sunt. Primus est totus nudus, secundus est siciens, tercarius esuriens. Primus significat fidem Ecclesie mee, que nuda est, quia omnes erubescunt loqui fidem et mandata mea. Et si sunt, qui

loquuntur, contempnuntur et mendacii arguuntur. **8** Ideo verba mea, que de ore meo procedunt, vestire debent hanc fidem quasi lana. Sicut enim lana crescit in corpore ouis ex calore, sic de calore deitatis mee et humanitatis verba mea procedunt in cor tuum, que vestient fidem sanctam meam testimonio veritatis et sapientie et probabunt eam esse veram, que nunc inanis reputatur, ut, qui usque adhuc tepidi fuerant vestire fidem operibus caritatis, audita caritate verborum meorum, conuertantur et reaccendantur ad loquendum fiducialiter et agendum fortiter.

9 Secundus significat amicos meos, qui desiderant more sicientis perfici honorem meum et turbantur ex inhonoracione mea. Hii ex dulcedine verborum meorum audita inebriabuntur caritate mea maiori et alii cum eis, nunc mortui, accendentur ad amorem meum, auditio, qualem graciā facio cum peccatoribus.

10 Tercius significat illos, qui cogitant sic in corde suo: 'Si sciremus', inquiunt, 'voluntatem Dei et quomodo viuere possemus et bene instrueremur de via bona, libenter faceremus, qui possemus.' Hii sunt quasi esurientes scire viam meam, et nullus saciat eos, quia nemo perfecte ostendit eis, que agenda sunt. Et si ostenditur, nullus secundum ea viuit. **11** Et ideo videntur eis verba quasi mortua, quia nemo secundum ea viuit. Propterea ego ipse ostendam eis, que faciant, et saciabo eos dulcedine mea. Nam temporalia, que videntur et nunc fere ab omnibus appetuntur, saciare non possunt hominem sed excitant magis ac magis desiderium ad querendum. **12** Verba autem mea et caritas saciabant homines et replebunt eos consolacione abundanti.

13 Ergo tu, sponsa mea, que es ouis mea, pacienciam et obedienciam cura seruare! Tu enim mea ex omni iusticia facta es. Et ideo oportet te sequi voluntatem meam. **14** Qui autem sequi vult voluntatem alterius, debet habere tria: primo cum eo unum consensum, secundo similia opera, tertio recedere ab inimicis eius. Qui autem sunt inimici mei nisi superbia et omnia peccata? Ab hiis ergo debes discedere, si cupis sequi voluntatem meam."

Qualiter in Christo tempore sue mortis fides, spes et caritas fuerint perfectibiliter et in nobis miseris sunt defectibiliter. Capitulum XXXIX.

1 "Ego habui tria in morte mea. Primo fidem, quando flectebam genua mea et orabam, sciens, quia posset me pater eripere de passione. Secundo spem, quando tam constanter expectabam et dicebam 'Non sicut ego volo'. Tercio caritatem, quando dicebam 'Fiat voluntas tua!'

2 Ego eciam habui angustias corporis ex timore naturali passionis, quando sudor sanguinis exiuit de corpore. Ideo, ne amici mei trepidarent se relictos, cum instat eis tribulacio, ego ostendi eis in me, quod caro infirma semper refugit molestias. **3** Sed potes querere, quomodo sudor sanguinis exiuit de corpore meo. Utique, sicut sanguis infirmi in omnibus venis siccatur et consumitur in venis, sic ex dolore naturali mortis sanguis meus consumebatur.

4 Pater denique volens ostendere viam, per quam aperiretur celum et homo exclusus ingrederetur, tradidit me ex caritate in passionem, ut corpus meum consumata passione glorificaretur in gloria. Non enim sine passione humanitas mea in gloriam venire posset ex iusticia, licet potuisse ex potentia deitatis mee fecisse. **5** Quomodo ergo illi merentur intrare in gloriam meam, qui modicam habent fidem, spem vanam et caritatem nullam? Si denique haberent fidem gaudii eterni et supplicii

horribilis, nichil concupiscerent nisi me. **6** Si crederent, quod ego omnia video et scio et in omnia potens sum et de omnibus iudicium requiro, vilesceret eis mundus et timerent magis coram me peccare propter timorem mei quam pro hominibus. **7** Si haberent spem firmam, tunc tota mens et cogitacio eorum esset ad me. Si haberent caritatem diuinam, cogitarent saltem in animo, quid feci pro eis, quantus michi labor in predicione, quantus dolor in passione, quanta michi caritas in morte, scilicet quod prius volui mori quam eos relinquere. **8** Sed fides eorum est infirma et quasi pendet in eis, cicus minans casum, quia credunt absente temptationis impulsu, diffidunt autem accedente aliquo contrario.

9 Spes eorum est vana, quia sperant peccatum sine iusticia et veritate iudicii dimitti. Regnum celorum confidunt optinere gratis. Misericordiam meam absque temperamento iusticie optinere cupiunt. **10** Caritas eorum ad me tota est frigida, quia numquam accenduntur ad querendum me, nisi tribulacione cogantur. Quomodo cum talibus possum calefieri, qui nec fidem habent rectam nec spem firmam nec caritatem ad me feruentem? **11** Ideo, cum clamauerint ad me et dixerint 'Miserere mei, Deus!', non merentur audiri nec intrare in gloriam meam, quia nolunt sequi Dominum suum ad passionem, ideo nec sequentur eum ad gloriam. **12** Nullus enim miles placere potest domino suo et in graciam eius post lapsum recipi, nisi prius aliquam humilitatem fecerit ei pro contemptu suo."

Verba qualiter creator proponit sponse tres benignas questiones: primam de mariti seruitute et dominio uxoris, secundam de viri labore et de uxoris consumacione, terciam de contemptu domini et de serui honore. Capitulum XL.

1 "Ego sum creator tuus et dominus. Dic michi tria, que quero a te! **2** Quomodo stat illa domus, ubi uxor vestitur sicut domina et maritus eius quasi seruuus? Numquid decet sic?" **3** Tunc illa respondit intus in conscientia sua: "Non, Domine, decet sic." **4** Et Dominus: "Ego sum dominus omnium et rex angelorum. Ego vestiui seruum meum, idest humanitatem meam, non nisi ad utilitatem et necessitatem. **5** Nichil enim quesui in mundo nisi solummodo tenuem victum et vestitum. Tu autem, que es sponsa mea, tu vis esse sicut domina, habere diuicias et honores et honorifice incedere. **6** Ad quid enim valent omnia ista? Certe omnia vana sunt et omnia relinquentur. Homo quippe non creatus fuit ad tantam superfluitatem sed ad necessitatem nature. **7** Hanc autem superfluitatem inuenit superbia, que nunc habetur et diligitur pro lege.

8 Secundo dic michi, numquid decens est, ut vir laboret de mane usque ad vesperam et uxor in una hora consumat omnia, que congregata sunt?" **9** Tunc illa respondit: "Non decet sic, sed iuxta voluntatem viri viuere et facere tenetur uxor." **10** Et Dominus: "Ego feci sicut vir, qui a mane usque ad vesperam laborat. Ego enim a iuuentute mea usque ad passionem laborauui, ostendens viam eundi ad celum predicando et opere complendo predicata. **11** Hunc omnem laborem meum uxor, idest anima, que deberet esse mea quasi uxor, tunc consumit, quando luxuriose viuit, ut nichil ei prosint, que ego feci, nec inuenio in ea aliiquid virtutis, in qua possim cum ea delectari.

12 Tercio dic michi, in quacumque domo dominus contempnitur et seruus honoratur, numquid non indecens et abominabile est?" **13** Et illa: "Vere, sic est." Et Dominus: "Ego sum dominus omnium. Domus mea mundus est et homo seruus meus de iure esse deberet. Sed ego, Dominus, nunc in mundo

contempnor et homo honoratur. Ideo tu, quam elegi, cura facere voluntatem meam, quia omnia, que in mundo sunt, non sunt nisi quedam spuma maris et quedam visio vana!"

Verba creatoris, presentibus celesti exercitu et sponsa, qualiter idem creator conqueritur de quinque viris, scilicet de papa cum suo clero et de malis laycis et de Iudeis et de paganis et de auxilio missis amicis suis, per quos omnes homines intelliguntur, et de crudelissima sentencia contra inimicos illata.

Capitulum XLI.

1 "Ego sum creator omnium, ego ante Luciferum a Patre genitus et inseparabiliter in Patre et Pater in me et unus Spiritus in ambobus. Ideo unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, et non tres dii.

2 Ego sum, qui Abrahe promisi hereditatem eternam et per Moysen eduxi populum meum de Egypto. Ego idem sum, qui in prophetis loquebar. **3** Pater misit me in visceribus virginis, non separans se a me sed manens inseparabiliter mecum, ut homo, a Deo recedens, ad Deum per caritatem meam rediret.

4 Nunc autem, presente exercitu meo, qui omnia videtis et scitis in me, tamen propter cognitionem et instrucionem istius astantis sponse, que spiritualia non potest percipere nisi per corporalia, conqueror coram vobis super quinque viros istos, hic astantes, quod multipliciter offendunt me. **5** Sicut enim per nomen Israel olim in lege intelligebam totum populum Israeliticum, sic nunc per quinque viros istos intelligo omnes homines in mundo.

6 Primus est Ecclesie rector et eius clericus, secundus est mali layci, tertius Iudei, quartus pagani, quintus amici mei. **7** Sed de te, Iudee, excipio omnes Iudeos, qui occulte sunt Christiani et seruiunt michi sincera caritate et recta fide et opere perfecto in occulto. **8** De te autem, pagane, excipio omnes, qui libenter incederent per viam mandatorum meorum, si scirent quomodo et si instruerentur, qui et opere faciunt, quantum sciunt et possunt. Hii nullatenus vobiscum iudicabuntur.

9 Nunc ergo conqueror super te, caput Ecclesie mee, qui sedes in sede mea, quam Petro et successoribus eius tradidi ad sedendum in ea triplici dignitate et auctoritate: primo, ut potestatem haberent ligandi animas et soluendi a peccato, secundo, ut aperirent celum penitentibus, tercio, ut clauderent celum maledictis et contemptibus.

10 Sed tu, qui deberes soluere animas et ad me presentare, tu vere es animarum interfector. Ego enim institui Petrum pastorem et seruatorem ouium mearum. **11** Tu autem es dispensor et lacerator earum, tu autem peior es Lucifer. Ipse enim habebat ad me inuidiam et nullum concupiuit occidere nisi me, ut pro me dominaretur. **12** Tu autem tanto deterior es, quod non solum occidis me remouendo me a te per mala opera tua, sed et animas occidis per malum exemplum tuum. **13** Ego redemi animas sanguine meo et commisi eas tibi tamquam amico fideli. Tu autem tradis eas iterato inimico, a quo redemi eas. **14** Tu es iniustior Pilato, qui nullum iudicabat ad mortem nisi me. Tu autem non solum iudicas me quasi nullius dominatorem et nullius boni dignum, ymmo et animas innocentes condempnas et nocentes dimittis. **15** Tu es immicior Iuda, qui me solum vendidit. Tu autem non solum vendis me sed et animas electorum meorum pro turpi lucro tuo et vano nomine. **16** Tu es abominabilior Iudeis. Ipsi crucifixerunt corpus meum solum. Tu autem crucifigis et punis animas electorum meorum, quibus

malicia tua et transgressio amerior est omni gladio. **17** Et ideo, quia tu similis es Lucifero, iniustior Pilato, immicior Iuda, abhominabilior Iudeis, ideo merito conqueror super te.”

18 Ad secundum autem, idest ad laycos, ait Dominus: ”Pro utilitate tua omnia creaui. Tu consensisti in me et ego in te. Dedisti michi fidem tuam et promisisti cum iuramento tuo te michi seruiturum. **19** Nunc autem discessisti a me quasi homo, ignorans Deum suum. Verba mea habes pro mendacio, opera mea pro vanitate. Voluntatem meam et mandata mea dicis nimis grauia. **20** Tu factus es violator fidei promisse. Tu fregisti iuramentum tuum et reliquisti nomen meum. Tu dissociasti te a numero sanctorum meorum et venisti ad numerum demonum et eorum factus es socius. **21** Tibi videtur neminem laude et honore dignum nisi te ipsum. Omnia, que mea sunt et que michi facere teneris, sunt tibi difficultia, que autem tibi ipsi placent, facilia. **22** Ideo merito conqueror super te, quia fregisti fidem tuam, quam michi in baptismo et deinceps dedisti. Insuper et pro caritate mea, quam verbo et opere tibi monstrauui, arguis me mendacem. Pro passione mea dicis me fatuum.”

23 Ad tertium autem, idest ad Iudeos, ait: ”Ego vobiscum incepi caritatem meam, elegi vos in populum meum, eduxi vos de seruitute, dedi legem meam et introduxi vos in terram, quam promisi patribus vestris, misi vobis prophetas in consolacionem. **24** Deinde ex vobis elegi virginem michi, ex qua suscepit humanitatem. Nunc autem conqueror super vos, quod adhuc non vultis credere, dicentes: ’Nondum venit Christus sed adhuc venturus est.’”

25 Ad quartum vero, idest ad gentilem, ait Dominus: ”Ego creaui te et redemi sicut Christianum et omnia bona feci propter te. Tu autem es quasi homo amens, quia nescis, quid facis, quasi homo cecus, quia nescis, quo vadis. **26** Colis enim creaturam pro creatore, falsum pro vero et curuas genu tuum ante inferiorem tuum. Ideo conqueror super te.”

27 Ad quintum autem ait: ”Procede, amice, vicinius!” Et statim ait ad celestem exercitum: ”Amici dilecti, ego habeo unum amicum, per quem intelligo plures. **28** Ipse est quasi homo inclusus inter malos et captiuatus duriter. Si loquitur vera, ipsi lapidant os eius. Si facit bona, lanceam mittunt in pectus eius. **29** Ecce, amici mei et omnes sancti, quamdiu paciar istos et quamdiu sufferam talem contemptum?” **30** Respondit sanctus Iohannes Baptista: ”Tu es quasi speculum mundissimum. In te enim quasi in speculo videmus omnia sine verbo et scimus. Tu es dulcedo incomparabilis, in qua omne bonum sapit nobis. Tu es quasi gladius acutissimus, qui iudicas in equitate.”

31 Tunc respondit ei Dominus: ”Vere, amice mi, tu dicis verum. In me enim electi mei vident omne bonum et omnem iusticiam, et eciam spiritus maligni, licet non in luce sed in conscientia sua. **32** Sicut enim homo, positus in carcere, qui prius didicerat litteras, qui, licet in tenebris sit, nichilominus tamen scit ea, que didicit, quamvis non videat, sic demones, quamvis non videant iusticiam meam in luce claritatis mee, tamen sciunt et vident in conscientia sua. **33** Ego eciam sum quasi gladius, qui diuidit duo. Sic ego unicuique do, sicut meretur.”

34 Deinde subiungens Dominus ait ad beatum Petrum: ”Tu es fundator fidei et Ecclesie mee. Dic, audiente exercitu meo, iusticiam de hiis quinque viris!” **35** Respondit Petrus: ”Laus et honor sit tibi, Domine, pro caritate tua, quam facis cum terra tua! Benedictus sis tu ab omni exercitu tuo, quia facis nos videre et scire in te omnia, que facta sunt et futura sunt! **36** In te enim omnia videmus et scimus. Hec autem est vera iusticia, ut primus, qui sedet in sede tua et opera habet Luciferi, amittat cum contemptu sedem, in qua presumpsit sedere, et particeps sit pene Luciferi.

37 De secundo est iusticia, ut, qui recessit a fide tua, descendat ad infernum capite inferius et pedibus sursum, quia contempsit te, qui deberes esse caput suum, et se ipsum dilexit. **38** De tercio est iusticia, ut non videat faciem tuam et puniatur iuxta maliciam suam et cupiditatem, quia perfidi non merentur videre visionem tuam. **39** De quarto est iusticia, ut sicut homo amens recludatur et in locis tenebrosis deputetur. **40** De quinto est iusticia, ut ei mittatur auxilium.”

41 Quibus auditis respondit Dominus: ”Iuro per Deum Patrem, cuius vocem in Iordane Iohannes Baptista audiuit, iuro per corpus, quod Iohannes in Iordane baptizauit, vidit et attractauit, iuro per Spiritum, qui in columbe specie in Iordane apparuit, quod faciam iusticiam super istos quinque.”

42 Tunc deinde addens Dominus dixit ad primum hominem de supradictis quinque: ”Gladius mee seueritatis in corpus tuum intrabit, qui a superiori parte capitinis ingredietur et sic profunde et valenter infigetur, ut numquam extrahatur. **43** Sedes tua demergetur quasi lapis ponderosus, qui non subsistit, antequam venerit in nouissimum profundi. **44** Digi tui, idest assessores, ardebunt igne sulphureo et inextinguibili. Brachia tua, idest vicarii, que ad animarum profectum extendi deberent sed extenduntur ad utilitatem mundi et honorem, iudicabuntur pena, qua dicit Dauid: ’Fiant filii eius orphani et uxor eius vidua, et alieni recipient substanciam eius.’ **45** Que est ’uxor eius’ nisi anima, que relinquitur a gloria celesti et erit vidua a Deo?

46 ’Filii eius’, idest virtutes, quas habere videbantur, et simplices mei, qui sub ipsis erant, separabuntur ab eis et dignitas eorum et bona ad alios deuoluentur. Et ipsi pro dignitate eternam confusione hereditabunt. **47** Deinde ornatus capitinis eorum demergetur in lutum inferni, a quo numquam consurgent, ut, sicut hic per honorem et per superbiam super alios ascenderunt, sic in inferno pre aliis demergentur ita profunde, quod impossibile sit eis consurgere.

48 Membra eorum, idest omnes sequaces eorum et fautores clerici, abscentur ab eis et disiungentur sicut murus destruendus, ubi non relinquitur lapis super lapidem, nec cementum adherebit lapidibus nec veniet super eos misericordia, quia caritas mea numquam calefaciet eos nec edificabit eos in eternam mansionem in celis, sed sine fine cum capitibus suis dissoluti ab omni bono cruciabantur.

49 Ad secundum autem dico: Quia non vis tenere fidem michi promissam nec caritatem ad me habere, mittam ad te animal, quod de torrente impetuoso procedit, et absorbebit te. **50** Et sicut torrens semper ad inferiora deriuatur, sic animal illud deducet te ad inferiora inferni. Et sicut impossibile est tibi contra torrentem impetuosum ascendere, sic difficile est tibi ab inferno umquam consurgere.

51 Ad tertium dico: Quia tu, Iudee, iam non vis credere me venisse, ideo, cum venero ad secundum iudicium, videbis me non in gloria mea sed in conscientia tua, et probabis, quod omnia erant vera, que dixeram. **52** Tunc restat tibi pena iuxta merita tua.

53 Ad quartum dico: Quia iam non curas credere nec vis scire, lucebunt tibi tenebre tue et cor tuum illustrabitur, ut scias iudicia mea esse vera, nec tamen venies ad lucem.

54 Ad quintum dico: Tria tibi faciam. Primo implebo te intus calore meo, et secundo faciam os tuum durius omni lapide et stabilius, ita ut lapides in te iacentes redeant. Tercio armabo te sic armis meis, quod nulla lancea nocebit tibi sed omnia mollescent ante te quasi cera a facie ignis. **55** Ergo confortare et sta viriliter! Sicut enim miles, qui in bello sperat auxilium domini sui, tam diu pugnat, quamdiu

aliquis liquor est in eo, sic tu sta firmiter et pugna, quia Dominus, Deus tuus, dabit tibi auxilium, cui nullus potest resistere. **56** Et quia paucum habes numerum, honorabo te et multiplicabo te.

57 Ecce, amici mei, hec videtis in me et scitis, et sic stant ante me. Verba mea, que nunc dicta sunt, complebuntur. Illi autem numquam intrabunt in regnum meum, quamdiu ego sum rex, nisi se emendauerint. Nullis enim dabitur celum nisi humiliantibus se et penitentibus.” **58** Tunc respondit omnis exercitus: ”Laus sit tibi, Domine Deus, qui es sine principio et sine fine!”

Verba exhortacionis Virginis ad sponsam, qualiter suum filium debeat diligere super omnia et qualiter in Virgine gloriosa omnes virtutes et gracie includuntur. Capitulum XLII.

1 Mater loquebatur: ”Ego habui tria, quibus placui filio meo: humilitatem, ut nulla creatura, nec angelus nec homo, esset me humilior; secundo habui obedientiam, qua studui obedire filio meo in omnibus; tertio habui precipuam caritatem.

2 Ideo tripliciter honorata sum a filio meo. Nam primo facta sum angelis et hominibus honorabilior, ita ut nulla sit virtus in Deo, que non fulgeat in me, licet ipse sit fons et omnium creator. **3** Ego autem sum creatura eius, cui graciam suam concessit pre ceteris. **4** Secundo pro obedientia tantam potestatem optinui, quod nullus tam immundus peccator est, si ad me cum emendacionis proposito conuertitur et cum corde contrito, quod non habebit veniam. **5** Tercio pro caritate sic appropinquat Deus michi, quod, qui videt Deum, videt me, et qui videt me, deitatem et humanitatem videre potest in me quasi in speculo et me in Deo.

6 Quicumque enim videt Deum, videt in eo tres personas, et quicumque videt me, videt quasi tres personas. Nam deitas conclusit me in se cum anima et corpore et impleuit me omni virtute, ut non sit virtus in Deo, que non splendeat in me, quamuis ipse Deus est pater et dator omnium virtutum.

7 Sicut enim duo corpora insimul coniuncta – quidquid unum receperit, hoc recipit aliud –, sic fecit Deus michi. Nam non est dulcedo, que non est in me, quemadmodum aliquis habens nucleus et partem alteri communicat.

8 Anima et corpus meum puriora sunt sole et mundiora speculo. Unde, sicut in speculo viderentur tres persone, si astarent, sic in puritate mea videri potest Pater et Filius et Spiritus sanctus. **9** Ego enim habui filium in utero meo cum deitate. Nunc ipse videtur in me cum deitate et humanitate quasi in speculo, quia glorificata sum.

10 Ergo, sponsa filii mei, stude sequi humilitatem meam et nichil diligas nisi filium meum!”

Verba Filii ad sponsam, qualiter ex modico bono homo ascendit ad perfectum bonum et ex modico malo descendit ad summum supplicium. Capitulum XLIII.

1 Filius loquebatur: ”Ex modico bono oritur quandoque magna merces. Dactilus mirifici odoris est et in fructu eius lapis. Si ponitur in pingui terra, pinguescit et fructificat et crescit in magnam arborem. **2**

Si autem ponitur in arida terra, arescit. Arida est nimis terra illa a bono, que delectatur in peccato. In qua si semen virtutum seritur, non pinguescit. **3** Pinguis autem est terra mentis illius, que cognoscit peccatum et gemit se peccasse. In qua si ponitur lapis dactili, idest seritur seueritas iudicii mei et potencie mee, radicatur tribus in mente radicibus. **4** Primo cogitat se nichil posse facere sine auxilio meo. Ideo aperit os suum ad rogandum me. Secundo incipit eciam modicam dare elemosinam pro nomine meo. Tercio exoccupat se a negociis suis ad seruendum michi. **5** Deinde incipit abstinere in ieiunio et in abdicacione voluntatis proprie, et hoc est corpus arboris.

6 Postea crescent caritatis rami, quando trahit omnes, quos potest, ad bonum. **7** Deinde crescit fructus, quando eciam alios docet, in quantum scit, et tota deuocione intendit, quomodo honorem meum possit ampliare. Talis fructus michi summe placet.

8 Sic igitur ex modico ascendit ad perfectum. Quando primo radicatur per modicam deuocionem, crescit corpus per abstinenciam, multiplicantur rami per caritatem, pinguescit fructus per predicacionem. **9** Simili modo per modicum malum descendit homo ad summam maledictionem et summum supplicium.

10 Numquid scis, quid est onus grauissimum de hiis, que crescent? Certe hoc est infantis, qui venit ad partum et non potest nasci sed intra viscera matris moritur, et ex hoc eciam mater rumpitur et moritur, quam pater cum filio defert ad sepulchrum et cum putredine sepelit. **11** Sic dyabolus facit anime. Anima quippe viciosa est quasi uxor dyaboli, cuius in omnibus sequitur voluntatem; que tunc concipit ex dyabolo, quando peccatum placet ei et gaudet in eo. **12** Sicut enim mater ex modico semine, quod non est nisi putredo, concipit et fructificat, sic et anima, cum delectatur in peccato, facit magnum fructum dyabolo.

13 Inde formantur membra et robur corporis, quando peccatum super peccatum additur et cotidie augmentatur. Augmentatis itaque peccatis mater intumescit, volens parere, sed non valet, quia, consumpta natura in peccato, tedio habetur vita et libenter vellet plus peccare, sed non potest nec permittitur a Deo. **14** Tunc adest timor, quod non potest perficere voluntatem suam. Abest fortitudo et leticia. Undique est dolor et sollicitudo. **15** Tunc rumpitur venter, quando desperat se posse facere bona. Tunc quoque moritur, quando blasphemat iudicium Dei et reprehendit, et sic ducitur a dyabolo patre ad sepulchrum inferni, ubi cum putredine peccati et filio delectacionis praecepit sine fine.

16 Ecce quomodo ex modico augetur peccatum et crescit ad dampnacionem!"

*Verba creatoris ad sponsam, qualiter nunc despicitur et vituperatur ab hominibus, non attendentes,
quid fecerit ex caritate monendo in prophetis et eciam ipse paciendo pro ipsis, nec curantes de eius
ira, quam contra obstinatos exercuit crudeliter corrigendo. Capitulum XLIV.*

1 "Ego sum creator omnium et Dominus. Ego feci mundum et mundus spernit me. Ego audio de mundo vocem quasi apis maioris, que in terra congregat mel. **2** Nam sicut apis maior, cum volat, statim ad terram iterum se deprimit et nimis raucam vocem emittit, sic in mundo nunc audio vocem illam raucam dicentem: 'Non curo, quid sequitur post hec.' Omnes quippe iam clamant: 'Non curo.' **3** Vere, homo non attendit nec curat, quid feci ex caritate monendo in prophetis, predicando per me

ipsum, paciendo pro ipsis. Non curant, quid feci in ira mea corrigendo malos et inobedientes. **4** Vident se mortales et incertos de morte et non curant. Audiunt et vident iusticiam meam, quam exercui propter peccata in Pharaone et Sodomitis, quam feci in regibus et aliis principibus, quam permitto cotidie fieri in gladio et aliis tribulacionibus. Et hec sunt eis quasi ceca omnia.

5 Ideo sicut apes maiores volant ad quodcumque volunt. Volant quippe quandoque quasi saltando, quia superbia sua se eleuant sed deprimunt se cicius, quando ad luxuriam et gulam suam reuertuntur. **6** Congregant eciam dulcedinem, sed sibi ipsis et in terra, quia homo laborat et congregat ad utilitatem corporis, non anime, et ad honorem terrenum, non eternum. **7** Vertunt sibi temporale in penam, illud, quod ad nichil est utile, in supplicium sempiternum. **8** Ideo propter preces matris mee mittam apibus istis, a quibus exempti sunt amici mei, qui non sunt in mundo nisi corpore, vocem meam claram, que predicabit misericordiam; quam si audierint, saluabuntur.”

Responsio Matris et angelorum, prophetarum, apostolorum et demoniorum ad Deum, presente sponsa, testificando eius magnificenciam in creacione et incarnatione et redempcione etcetera, et qualiter nunc homines omnibus istis contradicunt, et de seuero eorum iudicio. Capitulum XLV.

1 Mater loquebatur: ”Vesti te, sponsa filii mei, et sta stabilis, quia appropinquat tibi filius meus. **2** Caro eius fuit pressa quasi in torculari. Sicut enim in omnibus membris homo deliquit, sic ipse filius meus in omnibus satisfecit. **3** Crines filii mei erant extenti, nerui distenti, iuncture extracte de compaginibus, ossa laniata, manus et pedes confixe. Mens turbabatur, cor dolore afficiebatur, intestina ad dorsum contrahebantur, quia in omnibus membris peccauit homo.”

4 Deinde loquebatur filius, astante celesti exercitu, et ait: ”Licet omnia sciatis in me, tamen propter istam sponsam meam, que astat, loquor. **5** Quero a vobis, angeli: Dicite michi, quid est hoc, quod fuit sine principio et erit sine fine? Et quid est hoc, quod omnia creavit et a nullo creatum est? Dicite et perhibete testimonium!” **6** Responderunt angeli quasi una voce dicentes: ”Domine, tu es ille. Perhibemus enim tibi testimonium de tribus: **7** Primo, quod tu es creator noster et omnium, que sunt in celo et in terra. Secundo, quia tu es sine principio et eris sine fine, dominacio tua et potestas tua eterna. Sine te enim nichil factum est et sine te nichil fieri potest. **8** Tercio testificamur, quod omnem iusticiam et omnia, que facta sunt et futura sunt, videmus in te, et omnia sunt in tua presciencia sine principio et sine fine.”

9 Deinde dixit ad prophetas et patriarchas: ”Quero a vobis: Quis eduxit vos de seruitute in libertatem? Quis diuisit coram vobis aquam? Quis dedit vobis legem? Quis dedit vobis prophetis spiritum loquendi?” **10** Responderunt ei: ”Tu, Domine. Tu eduxisti nos de seruitute. Tu dedisti legem. Tu suscitasti spiritum nostrum ad loquendum.”

11 Deinde ait ad matrem: ”Dic testimonium veritatis, quod scis de me!” **12** Respondit illa: ”Antequam angelus, missus a te, veniret ad me, fui sola cum corpore et anima. Dicto autem verbo angeli, corpus tuum fuit in me cum deitate et humanitate et sensi in meo corpore corpus tuum. **13** Ego portau te sine dolore, peperi sine angustia. Ego inuolui te pannis, paui te lacte meo. Ego fui tecum a nativitate usque ad mortem.”

14 Deinde ad apostolos ait Dominus: "Dicite, quis est ille, quem vidistis, audistis et sensistis?" **15** Responderunt illi: "Nos audiuimus verba tua et scripsimus ea. Nos audiuimus magnalia tua, cum dedisti nouam legem, cum verbo precepisti demonibus et exierunt, cum verbo resuscitasti mortuos et sanasti infirmos. **16** Nos vidimus te in humano corpore. Nos vidimus magnalia tua in diuina gloria cum humanitate. Nos vidimus te traditum inimicis et pendere in ligno. Nos vidimus in te passionem amarissimam et in sepulchro positum. Nos sensimus te, cum resurrexisti. **17** Attractauimus crines tuos et faciem tuam. Attractauimus loca vulnerum tuorum et membra tua. **18** Tu comedisti nobiscum et dabas colloquia tua. Tu vere es filius Dei et filius virginis. **19** Sensimus eciam, cum ascendisti ad dexteram Patris cum humanitate, ubi es sine fine."

20 Deinde dixit Deus ad spiritus immundos: "Licet in conscientia vestra celatis veritatem, precipio tamen vobis dicere, quis minuit potestatem vestram." **21** Responderunt ei: "Sicut fures, nisi ligno duro grauentur pedes eorum, non dicunt veritatem, sic nec nos, nisi coacti diuina et terribili potencia tua, non diceremus veritatem. **22** Tu es, qui ad infernum cum fortitudine tua descendisti. Tu minuisti potestatem nostram in mundo. Tu ius tuum de inferno suscepisti."

23 Tunc ait Dominus: "Ecce omnes, qui habent spiritum et non vestiuntur corpore, perhibent michi testimonium veritatis. Qui autem habent spiritum et corpus, scilicet homines, contradicunt michi. Quidam autem sciunt sed non curant. Alii nesciunt. Ideo non curant sed dicunt omnia esse falsa."

24 Iterum ait ad angelos: "Ipsi dicunt testimonium vestrum esse falsum, quod non sum creator nec omnia sciuntur in me. Ideo diligunt magis creaturam quam me."

25 Ad prophetas autem ait: "Vobis contradicunt, dicentes legem esse vanitatem, fortitudine vestra vos esse liberatos et sollertia, spiritum fuisse falsum et vos propria voluntate locutos esse."

26 Ad matrem autem ait: "Aliqui dicunt te non fuisse virginem, alii me non sumpsisse corpus de te, alii sciunt sed non curant."

27 Ad apostolos autem ait: "Vobis contradicunt, quia dicunt vos esse mendaces, legem nouam ad nichil utilem et sine racione. Alii sunt, qui credunt esse verum sed non curant. Nunc igitur quero vos: Quis erit iudex istorum?" **28** Responderunt ei omnes: "Tu, Deus, qui es sine principio et sine fine. Tu, Iesu Christe, qui es cum Patre. Tibi datum est iudicium a Patre, tu es iudex istorum." **29** Respondit Dominus: "Ego, qui conquerebar super eos, nunc sum iudex eorum, sed licet omnia possim et nouerim, tamen vos date iudicium vestrum super eos!"

30 Responderunt ei: "Sicut totus mundus in principio mundi aquis diluuii periit, sic nunc est dignus mundus igne perire, quia habundat nunc magis iniquitas et iniusticia quam tunc." **31** Respondit Dominus: "Quia sum iustus et misericors nec iudicium facio sine misericordia nec misericordiam sine iusticia, ideo adhuc semel propter preces matris mee et sanctorum meorum mittam mundo misericordiam meam. Si autem noluerint audire, tanto seuerior sequetur iusticia."

*Verba laudis Matris et Filii adinuicem, presente sponsa, et qualiter nunc Christus ab hominibus
inhonestus, turpissimus et vilissimus reputatur et dicitur, et de eterna talium dampnacione. Capitulum*

XLVI.

1 Maria loquebatur ad filium suum dicens: "Benedictus sis tu, qui es sine principio et sine fine! Tu habuisti corpus honestissimum et decentissimum. Tu fuisti vir strenuissimus et virtuosissimus. Tu fuisti dignissima creatura." **2** Respondit filius: "Verba tua, que procedunt de ore tuo, sunt michi sua via et delectant intima cordis tamquam potus suaussimus. Tu es michi pre omni creatura suaussima. Sicut enim in speculo diuerse facies considerantur sed nulla magis placet quam propria, sic ego, licet sanctos meos diligam, te tamen precipua dilectione diligo, quia de carne tua generatus sum. **3** Tu es quasi mirra, cuius odor ascendit ad deitatem et deduxit eam in corpus tuum. Hic idem odor traxit corpus tuum et animam in deitatem, ubi nunc es cum corpore et anima. **4** Benedicta sis tu, quia ex pulchritudine tua gaudent angeli et ex virtute tua omnes, qui inuocant te sincero corde, liberantur. In luce tua omnes demones contremiscunt nec audent ad tuum fulgorem subsistere, quia semper volunt esse in tenebris.

5 Tu dedisti michi triplicem laudem, quia dixisti me habere honestissimum corpus, secundo virum strenuissimum, tercio dixisti me esse dignissimum creaturarum. **6** Sed hiis tribus contradicunt illi solummodo, qui habent corpus et animam. Dicunt enim me habere corpus dishonestum, virum esse abiectissimum, creaturam vilissimam. **7** Quid est dishonestus quam alios prouocare ad peccatum? Sic dicunt corpus meum trahere ad peccatum. Dicunt quippe peccatum non esse sic deforme, ut dicitur, nec tantum displicere Deo. **8** 'Non enim', inquiunt, 'esset aliquid, nisi Deus vellet, nec aliquid est sine ipso creatum. Quare ergo non debemus uti hiis, que facta sunt, ad voluntatem nostram? Fragilitas nature hoc exigit et sic omnes ante nos vixerunt et viuunt.' **9** Sic nunc loquuntur michi homines. Humanitatem autem meam, in qua verus Deus inter homines apparui, quia dissuasi peccatum et ostendi, quam graue est, dicunt dishonestatem, quasi suaserim inutilitatem et dishonestatem. Nichil quippe dicunt honestum nisi peccatum et quod placet voluntati eorum.

10 Dicunt eciam me esse virum turpissimum. Quid enim est illo turpius? Qui cum loquitur veritatem, os eius contunditur lapidibus et in faciem ceditur, insuper et audit obprobrium dicencium: 'Si esset virilis, vindicaret se.' Sic faciunt michi. **11** Ego loquor eis per doctores et sanctam Scripturam, sed dicunt, quod loquor mendacium. Contundunt os meum lapidibus et pugno, quando faciunt adulterium, homicidium et mendacium, et dicunt: 'Si esset virilis, si esset Deus potentissimus, vindicaret transgressionem talem.' **12** Ego autem suffero per pacientiam meam et audio cotidie eos dicentes, quod pena non est eterna nec amara, sicut dicitur, et iudicantur verba mea mendacium esse.

13 Tercio iudicant me vilissimam creaturam. Quid enim abiecius in domo est quam canis et murilegus, pro quibus, qui commutare vellet, libenter recipere equum? **14** Sed homo habet me deteriorem cane. Ad hoc enim, ut careret cane, nollet me recipere, et antequam careret pelle, pocius me abiceret et abiuraret. Que autem res tam modica, menti alludens, non feruencius quam ego cogitatur et concupiscitur? Si enim me plus quam aliam creaturam estimarent, plus me diligenter quam alia. **15** Ipsi nichil habent tam modicum, quod non diligent preter me. De omnibus dolent preter de me. Dolent dampna propria et amicorum. Dolent lesionem unius verbi. Dolent, quod offendunt alios homines se excellenciores, sed non dolent, quod offendunt me, omnium creatorem.

16 Quis homo est tam abiectus, quod, si peteret, non audiretur, si daret, non retribueretur ei aliquid? Ego autem sum abiectissimus et vilissimus in conspectu eorum, quia me nullius boni reputant dignum, qui omnia bona dedi eis.

17 Ergo, mater mea, quia tu plus de sapiencia mea gustasti et numquam de ore tuo nisi veritas processit, sic de ore meo numquam nisi veritas procedit. Ego excusabo me in conspectu omnium sanctorum coram primo, qui dixit me corpus habere indecentissimum, et probabo me habere veraciter corpus honestissimum sine deformitate et peccato, et ipse veniet in obprobrium sempiternum, quod omnes videbunt. **18** Ille autem, qui dicebat mea verba mendacium et nescire, utrum Deus sum an non, probabo me esse veraciter Deum, et ipse quasi lutum defluet in infernum. **19** Tercius autem, qui iudicauit me vilissimum, ego iudicabo eum ad eternam dampnacionem, ut numquam videat gloriam meam et gaudium meum.”

20 Deinde ait ad sponsam: ”Sta firmiter in seruicio meo! Tu venisti quasi in quandam murum, in quo clausa non poteris fugere nec fodere fundamentum. Suffer ergo voluntarie modicam tribulacionem, et sencies eternam requiem in brachio meo! **21** Tu nosti voluntatem Patris, tu audis verba Filii et sentis Spiritum meum. Tu habes delectacionem et consolacionem in allocucione matris mee et sanctorum meorum. Ergo sta firmiter! Alioquin sencies iusticiam meam, per quam cogeris facere, que nunc moneo beniuole.”

Verba Domini ad sponsam de legis noue adieccione et qualiter nunc ipsa lex reprobatur et contempnitur a mundo et quomodo mali sacerdotes non sunt Dei sacerdotes sed Dei proditores et de maledicione talium et dampnacione. Capitulum XLVII.

1 ”Ego sum Deus ille, qui olim dicebatur Deus Abraham et Deus Ysaac et Deus Iacob. Ego sum Deus, qui dedi legem Moysi. Hec erat quasi vestis. Sicut enim mater, que habet infantem in ventre, preparat vestes pueri, sic Deus preparauit legem, que non erat nisi vestis et umbra et signa futurorum faciendorum. **2** Ego autem vestiui me et inuolui me in istis vestibus legis. Deinde sicut crescente pueri mutatur habitus antiquus et assumitur nouus, sic ego, completa et deposita veste antique legis, assumpsi nouam vestem, idest legem nouam, et dedi omnibus, qui voluerunt habere vestes mecum.

3 Vestis autem ista non est stricta vel difficilis sed ubique moderata. Non enim precipit nimis ieunare vel laborare vel se occidere vel aliquid ultra possibilitatem facere, sed proficia est ad animam et ad corpus moderandum et castigandum apta. **4** Corpus enim cum nimium peccato adheret, ipsum peccatum corpus consumit.

5 In lege ergo noua duo inueniuntur: primo discreta temperancia et rectus usus omnium rerum anime et corporis; secundo facilitas seruandi legem, quia, qui non potest stare in uno, potest in alio. **6** Ibi inuenitur, quod, qui non potest esse virgo, licite potest esse in coniugio. Qui cadit, potest resurgere. Sed lex ista nunc reprobatur et contempnitur a mundo. **7** Dicunt enim legem ipsam strictam esse, grauem et deformem. Strictam dicunt eam, quia lex precipit contentari de necessariis et fugere superflua. Ipsi autem volunt habere omnia extra rationem quasi iumenta super vires corporis. Ideo stricta est eis.

8 Dicunt eam secundo esse grauem, quia lex dicit voluptatem cum ratione habere et temporibus constitutis. Sed ipsi volunt perficere suam voluptatem plus quam expedit et plus quam constitutum est.

9 Tercio dicunt eam esse deformem, quia lex iubet diligere humilitatem et Deo omne bonum ascribere. Ipsi autem volunt de bonis, a Deo datis, superbire et se extollere. Ideo est eis deformis. Ecce sic contempta est vestis mea.

10 Ego omnia priora compleui et incepi noua, quia antiqua nimis erant difficilia, ut durarent, usquequo venirem ad iudicium. Sed vilater proiecerunt vestem, qua tegitur anima, idest fidem rectam.

11 Insuper et peccatum peccato addunt, quia me volunt eciam prodere. Numquid Dauid dicit in psalmo: 'Qui edebat panem meum, cogitauit aduersum me prodicionem.'? **12** In illis verbis volo te duo notare. Primo, quod non dicit 'cogitat' sed 'cogitauit', quasi iam preteritum est. Secundo, quod notat ibi non nisi unum hominem, qui prodidit. **13** Ego autem dico, quod ipsi sunt proditores mei, qui sunt in presenti, non qui fuerunt vel qui futuri sunt, sed qui iam viuunt. Ego eciam dico, quod non solum unus homo sed quia multi sunt.

14 Sed tu forte potes querere a me: 'Nonne duo sunt panes, unus inuisibilis et spiritualis, quo viuunt angeli et sancti, secundus de terra, quo vescuntur homines? Sed angeli et sancti nichil aliud volunt nisi iuxta tuam voluntatem et homines nichil aliud possunt nisi sicut tibi placuerit. Quomodo ergo possunt te prodere?' **15** Respondeo tibi, audiente celesti exercitu meo, qui omnia sciunt et vident in me, sed propter te, ut scias: Vere duplex est panis. **16** Unus angelorum, qui comedunt panem meum in regno meo, ut sacientur ineffabili gloria mea. Ipsi enim non produnt me, quia nichil aliud volunt nisi sicut ego. **17** Sed illi me produnt, quo comedunt panem meum in altari. Ego vere sum ille panis. In pane illo videntur tria: figura, sapor et rotunditas.

18 Ego vere sum panis. Ego namque sicut panis habeo in me tria, saporem, figuram et rotunditatem. Saporem, quia, sicut sine pane omnis cibus est quasi insipidus et quasi nullius confortacionis, sic sine me omne, quodcumque est, est insipidum et omne infirmum et vanum. **19** Ego habeo eciam figuram panis, quia de terra sum. Ego enim sum de matre virgine, mater de Adam, Adam de terra. **20** Habeo eciam rotunditatem, ubi non inuenitur finis nec principium, quia ego sum sine principio et sine fine. Nullus potest considerare vel inuenire finem vel principium in sapiencia mea, potentia vel caritate. Ego sum intra omnia et supra omnia et extra omnia. **21** Eciam si aliquis volaret quasi sagitta sine cessacione in perpetuum, numquam inueniret finem vel profundum in potentia et virtute mea.

22 Propter ista ergo tria, scilicet saporem, figuram et rotunditatem, ego sum panis ille, qui in altari panis videtur et sentitur sed in corpus meum, quod crucifixum est, conuertitur. **23** Sicut enim aliquid aridum et cito arsurum, si igni admouetur, cito consumitur et nichil remanet de figura lignorum sed totum est ignis, sic, dictis verbis illis, scilicet 'Hoc est corpus meum', quod prius fuit panis, fit statim corpus meum nec incenditur sicut ligna igne sed deitate mea. Ideo, qui comedunt meum panem, produnt me.

24 Que autem poterit esse abominabilior interfecio quam illa, ubi aliquis interficit se ipsum? Aut que deterior prodicio quam ubi duo, indissolubili vinculo iuncti, alias alium prodit, utputa coniuges?

25 Quid autem facit consors, cum prodere voluerit consortem? Vere dicit ei sub simulacione: 'Eamus ad locum illum, ut impleam tecum voluntatem meam!' Illa autem in vera simplicitate, parata ad omnem voluntatem consortis, vadit cum eo. **26** Sed cum oportunum tempus et locum inuenierit, producit contra eam tria instrumenta prodicionis. Aut enim habet aliquid ita ponderosum, quod uno ictu interficit eam, aut ita acutum, quod statim intrat in viscera, aut aliquid, quo suffocatur statim et

intercluditur spiritus vitalis. **27** Cum autem mortua fuerit, cogitat proditor apud se: 'Nunc male feci. Si apertum et publicum erit facinus meum, condemnabor ad mortem.' Ideo vadit et ponit corpus illud consortis mortue in occulto loco, ne detegatur peccatum suum.

28 Sic faciunt nunc sacerdotes michi, qui proditores mei sunt. Ipsi enim et ego uno vinculo ligamur, quando sumunt panem et proferendo verba faciunt inde corpus meum verum, quod de virgine sumpsi. Hoc non possunt omnes angeli facere, quia sacerdotibus solis illam dignitatem dedi et ad summos ordines ipsos elegi. **29** Sed ipsi faciunt michi sicut proditores. Nam ostendunt michi faciem letam et blandam et ducunt me in occultum locum, ut prodant. **30** Sacerdotes ipsi tunc ostendunt faciem letam, cum videntur esse boni et simplices, ducunt me in conclavi, cum procedunt ad altare. Tunc ego paratus sum quasi sponsa vel sponsus facere omnem voluntatem eorum, sed ipsi produnt me. **31** Primo adhibent michi ponderosum, quando diuinum officium, quod dicunt michi, est eis onerosum et graue. Magis enim loquuntur centum verba pro mundo quam pro honore meo unum. Magis darent centum marcas auri pro mundo quam unum denarium pro me. Magis cencies laborarent pro propria utilitate et mundi quam semel pro meo honore. Hoc onere deprimunt me, quasi mortuus sim a cordibus eorum.

32 Secundo pungunt me quasi acuto ferro, quod intrat in viscera, quando sacerdos accedit ad altare et cogitat se peccasse et penitet, habens firmam voluntatem peccandi iterum peracto officio, cogitando secum: 'Bene peniteo de peccato, sed non relinquam illam a me, cum qua peccaui, ita quod non amplius faciam.' Isti quasi ferro acutissimo me pungunt.

33 Tercio quasi suffocatur spiritus, cum cogitant secum sic: 'Bonum et delectabile est esse cum mundo, bonum est luxuriari et non possum continere. Faciam voluntatem meam in iuuentute. Cum autem senuerim, tunc abstinere volo et me emendare.' Et ex ista pessima cogitatione suffocatur spiritus.

34 Sed queritur, quomodo. Utique, cor eorum sic frigidatur et tepescit a me et ab omni bono, ut numquam calefieri possit nec resurgere ad caritatem meam. **35** Sicut enim ex glacie, eciam si adhibeatur ignis, non surgit flamma sed liquefit, sic isti, eciam si dedero eis graciā meam et audierint verba ammonicionis, non tamen exurgunt ad viam vite sed arent et deficiunt ab omni bono. **36** Sic ergo produnt me, ex eo scilicet, quod ostendunt se simplices et non sunt et quia grauantur vel turbantur ex honore meo, quo deberent delectari, et ex eo eciam, quod habent voluntatem peccandi et quod promittunt se usque in finem peccaturos.

37 Tunc eciam quasi abscondunt me et ponunt me in loco occulto, quando cogitant apud se sic: 'Scio me peccasse. Si abstineo a sacrificio, confundor et dijudicor ab omnibus.' Et accedunt ad altare impudenter et ponunt me ante se et tractant me, Deum verum et hominem. Cum quibus sum quasi in occulto loco, quia nullus scit nec considerat, quam praui et deformes sunt, ante quos quasi in occulto iaceo Deus, quia, eciam si pessimus homo fuerit sacerdos et dixerit verba illa, scilicet 'Hoc est corpus meum', ipse consecrat verum corpus meum et iaceo ante eum verus Deus et homo.

38 Sed cum ipse applicauerit me ad os suum, tunc ego desum per graciā cum deitate et humanitate mea ab ipso – forma autem panis et sapor remanet sibi –, non quod non veraciter ibi sim ita cum malis sicut cum bonis propter sacramenti institutionem, sed quia similem effectum non habent boni et mali.

39 Ecce tales sacerdotes non sunt mei sacerdotes sed veri proditores! Ipsi enim et me vendunt quasi

Iudas et produnt. Ego conspicio paganos et Iudeos sed nullos video eis deteriores, quia ipsi sacerdotes sunt in peccato eodem, quo cecidit Lucifer.

40 Nunc eciam dico tibi iudicium eorum et cui sunt similes. Horum iudicium est malediccio. Sicut maledixit Dauid eis, qui non obediunt Deo, – qui, cum esset iustus propheta et rex, non maledixit ex ira vel mala voluntate seu ex impaciencia sed ex iusticia Dei – sic ego, qui melior sum Dauid, maledico eis, qui sunt sacerdotes, non ex ira vel voluntate mala sed ex iusticia. **41** Maledictum ergo sit omne, quod de terra ad utilitatem suam receperint, quia non laudant Deum et creatorem suum, qui dedit eis hec. Maledictus sit cibus et potus eorum, qui intrat in os eorum, qui pauit corpus in cibum vermium et animam ad infernum. **42** Maledictum sit corpus eorum, quod resurget in inferno sine fine arsurum. Maledicti sint anni eorum, quibus vixerunt inutiliter. Maledicta sit hora, que incipit eis in inferno et numquam finietur. **43** Maledicti sint oculi eorum, quibus viderunt lumen celi. Maledicte sint aures eorum, quibus audierunt verba mea et non curabant. Maledictus sit gustus eorum, quo gustauerunt dona mea. **44** Maledictus sit tactus eorum, quo tractauerunt me. Maledictus sit odoratus eorum, quo odorauerunt delectabilia et me neglexerunt, delectabilorem super omnia.

45 Sed queritur, quomodo maledicuntur. Utique maledictus erit visus eorum, quia non videbunt visionem Dei in se sed tenebras et penas inferni. Maledicte sunt aures eorum, quia non audient verba mea sed clamorem inferni et horrorem. **46** Maledictus est gustus eorum, quia non gustabunt de bonis meis eternis et gaudium sed amaritudinem eternam. Maledictus est tactus eorum, quia non tractabunt me sed ignem perpetuum. Maledictus est odoratus eorum, quia non odorabunt odorem suauissimum illum in regno meo, excedentem omnia aromata, sed fetorem in inferno habebunt amariorem felle et peiorem sulphure.

47 Maledicti sint a terra et celo et ab omnibus creaturis insensatis, quia ipsa obediunt Deo et laudant et isti spreuerunt. **48** Propterea iuro in veritate mea, qui sum veritas, quod, si sic moriantur et in tali disposicione, qua nunc sunt constituti, numquam caritas mea nec virtus concludet eos in se sed sine fine dampnabuntur.”

Qualiter, celi exercitu et sponsa presentibus, deitas loquitur humanitati contra Christianos, sicut Deus Moysi contra populum, et qualiter maledicti sacerdotes diligunt mundum et despiciunt Christum et de eorum maledicione et dampnacione. Capitulum XLVIII.

1 Videbatur exercitus magnus in celo, ad quem dixit Deus: ”Ecce audientibus amicis meis, qui omnia scitis et intelligitis et videtis in me, loquor propter istam sponsam meam, que hic astat. **2** Ecce quemadmodum aliquis ad se ipsum, sic deitas mea loquitur ad humanitatem meam. Moyses fuit cum Domino in monte quadraginta diebus et noctibus. Quem cum populus abesse tam diu vidissent, receperunt aurum et proiecerunt in ignem et inde conflatus est vitulus, quem vocauerunt deum suum. **3** Tunc dixit Deus ad Moysen: ’Populus peccauit. Ego delebo eum, sicut aliquid scriptum abraditur de libro.’ **4** Respondit Moyses: ’Non, Domine mi! Recordare, quod eduxisti eos de mari rubro et fecisti eis mirabilia. Si deleueris eos, ubi est tunc promissio tua? Ne, queso, facias hoc, quia tunc dicent inimici tui: Malus est Deus Israel, qui eduxit populum de mari et interfecit eos in deserto.’ Et placatus est Deus de verbis istis.

5 Ego sum Moyses ille in figura. Deitas mea loquitur ad humanitatem, quasi ad Moysen, dicens: 'Vide, quid populus tuus fecit, quomodo contempsit me! Omnes Christiani interficiunt et delebitur fides eorum.' **6** Respondit humanitas mea: 'Non, Domine. Recordare, quod eduxi populum per mare in sanguine meo, quando a planta pedis usque ad verticem laceratus sum! Ego promisi eis vitam eternam. Miserere eis propter passionem meam!' **7** Hiis auditis placata est deitas ex verbis istis et ait: 'Fiat voluntas tua, quia tibi omne iudicium datum est! Ecce amici mei, qualis caritas! Sed nunc coram vobis, amicis meis spiritualibus, scilicet angelis et sanctis, et coram amicis meis corporalibus, qui sunt in mundo, qui tamen non sunt in mundo nisi corpore, conqueror, quod populus meus collegit ligna et incendit ignem et proiecit in eum aurum, et inde surrexit eis vitulus, quem adorant ut deum. **8** Ipse stat quasi vitulus super quatuor pedes, habens caput cum gutture et cauda. Moyse autem tardante in monte dixit populus: 'Nescimus, quid acciderit ei.' Et displicuit eis, quod eduxerit eos de captiuitate, dicentes: 'Queramus alium Deum, qui nos precedat!'

9 Sic nunc faciunt michi isti maledicti sacerdotes. Dicunt enim: 'Cur magis nos austriorem vitam agimus quam alii?' aut 'Que merces nostra? Melius est nobis esse in pace nostra et voluptate. Diligamus ergo mundum, de quo certi sumus! De promissione enim eius incerti sumus.' **10** Deinde colligunt ligna, idest omnes sensus suos applicant ad amorem mundi. Incendunt ignem, cum voluntatem perfectam habent ad mundum. Ardent autem, cum voluptas feruet in mente et prodit in actu. Postea proiciunt aurum, idest omnem caritatem et honorem, quem michi deberent facere, faciunt pro mundi honore. **11** Tunc surgit vitulus, idest completus amor mundi, qui habet quatuor pedes, scilicet accidiam, impacienciam, gaudium superfluum et auariciam. Ipsi enim sacerdotes, qui deberent esse mei, accidiosi sunt ad honorem meum, impacientes ad ferendum, nimii in gaudio et numquam contentantur de optentis.

12 Iste vitulus habet eciam caput et guttur, idest voluntatem omnem ad gulam, ut numquam saciari possit, eciam si influeret totum mare. Cauda vero huius vituli est malicia eorum, quia nullum permitterent possidere sua, si possent. **13** Vulnerant enim et subuertunt omnes, qui seruiunt michi, exemplo suo prauo et contemptu. Talis amoris vitulus est in cordibus eorum. Ad talem gaudent et delectantur. **14** De me, sicut illi de Moyse, cogitant: 'Diu', inquiunt, 'defuit. Verba sua videntur vana et opera onerosa. Habeamus voluntatem nostram, potestas nostra et voluptas sit Deus noster!' **15** Nec eciam hiis contentantur nec ex toto me obliuiscuntur sed habent me pro ydolo.

16 Gentiles colebant ligna et lapides et homines mortuos. Inter quos colebatur unum ydolum nomine Belzebub, cuius sacerdotes offerebant ei thus et faciebant ei genuflexiones et clamores laudis. **17** Totum eciam, quod de sacrificio eorum erat inutile, cecidit in terram, et aues et musce comedenterunt illud. Omnia autem, que utilia erant, sacerdotes reseruabant sibi. **18** Ipsi quoque clauerunt portam super ydolum suum et personaliter seruabant clauem, ne quis alias ingrederetur.

19 Sic sacerdotes faciunt michi isto tempore. Ipsi offerunt michi thus, idest loquuntur et predican verba pulchra ad laudem propriam et ad habendum aliiquid temporale, non ex caritate mea. **20** Ideo sicut odor thuris non capitur sed sentitur et videtur, sic verba eorum non veniunt ad effectum animarum, ut radicari vel teneri possint corde, sed audiuntur solummodo verba et quasi ad tempus delectare videntur. **21** Offerunt preces, sed nullo modo michi placabiles. Sicut illi, qui clamant ore laudem et silent corde, stant quasi iuxta me ore clamantes sed corde circumuagantur mundum. **22** Si enim deberent loqui homini alicuius dignitatis, cor haberent cum locuzione, ne deuiarent in loquendo, ne forte in aliquibus notarentur. **23** Apud me autem orant sacerdotes quasi homines, qui sunt in extasi,

qui aliud loquuntur ore et aliud habent in corde. De quorum verbis auditor nullam potest habere certitudinem. **24** Flectunt genua michi, id est humilitatem et obedienciam michi promittunt. Sed vere humiles sunt quasi Lucifer. Obedientes sunt desideriis suis, non michi.

25 Claudunt eciam super me et personaliter habent clauem. Tunc aperiunt super me et laudant, quando dicunt: 'Fiat voluntas tua sicut in celo et in terra!' **26** Sed claudunt super me, cum voluntas eorum perficitur; mea autem quasi clausi hominis et nullipotentis, quod nec videri nec audiri potest. **27** Seruant personaliter clauem, cum eciam alios, qui voluntatem meam facere volunt, retrahunt exemplo suo. Et, si possent, libenter eciam prohiberent, ne voluntas mea egrederetur et perficeretur nisi iuxta voluntatem eorum.

28 Deinde in sacrificio custodiunt omnia, que sunt eis necessaria et utilia, et omnem honorem et debitum suum exigunt, sed de corpore hominum, quod cadit in terram per mortem, pro quo potissimum sacrificium offerre tenerentur, quasi inutile iudicant, tradentes muscis, id est veribus. **29** De debito autem eius aut de salute anime minimum curant nec attendunt.

30 Sed quid dictum est Moysi? 'Interface eos, qui hoc ydolum fecerunt!' Ubi si aliqui sunt interfecti, non tamen omnes. Sic nunc venient verba mea, que occident eos, alios ad corpus et animam per eternam dampnacionem, alios ad vitam, ut conuertantur et viuant, alios ad celerem mortem, quia ipsi sacerdotes sunt michi omnino odiosi.

31 Et cui eos similabo? Ipsi vere sunt similes fructui spine, qui exterius est pulcher et rubicundus, intus vero est plenus immundicia et aculeis. Sic ipse accedunt ad me quasi homines rubicundi caritate, et mundi videntur hominibus sed intus pleni sunt omni spurcicia. **32** Hic fructus si ponatur in terram, inde iterum alie spine succrescant. Sic ipsi in corde quasi in terra occultant peccata sua et malicias et sic radicantur in malo, quod eciam non erubescant prodire foras et gloriari de peccato suo. **33** Unde alii non solum sumunt occasionem peccandi sed eciam grauiter vulnerantur ad animam, cogitantes secum sic: 'Si sacerdotes hoc faciunt, multo magis est nobis licitum.' **34** Ipsi quippe non solum fructui sed et spine similes sunt, quia dedignantur tangi correpcionibus et ammonicionibus et nullos reputant se ipsis sapienciores sed omnia posse facere, que volunt. **35** Ideo iuro in deitate mea et humanitate angelis omnibus audientibus, quod frangam ostium, quod clauerunt super voluntatem meam, et ipsa complebitur et eorum voluntas annichilabitur et claudetur sine fine in pena. **36** Propterea, sicut antiquitus dictum est, incipiam iudicium meum in clero et ab altari meo."

Verba Christi ad sponsam, qualiter ipse Christus similatur Moysi in figura, educenti populum de Egypto, et qualiter maledicti sacerdotes, quos loco prophetarum in maiores amicos elegit, nunc clamant: "Discede a nobis!" Capitulum XLIX.

1 Filius loquebatur: "Ego similaui me prius Moysi in figura. Qui cum educeret populum, stabat aqua quasi murus a dexteris et sinistris. **2** Ego certe sum ille Moyses in figura, qui eduxi populum Christianum, id est aperui eis celum et ostendi eis viam. Sed nunc elegi michi alios amicos prophetis specialiores et secreciores, videlicet sacerdotes, qui non solum verba mea audiunt et vident, cum me ipsum vident, ymmo eciam tractant me manibus suis, quod nullus prophetarum vel angelorum facere poterat.

3 Isti sacerdotes, quos loco prophetarum in amicos elegi, clamant ad me non cum tali desiderio et caritate, quali prophete, sed clamant duabus contrariis vocibus. **4** Non enim clamant sicut prophete: 'Veni, Domine, quia dulcis es!', sed clamant: 'Discede a nobis, quia verba tua sunt amara et opera tua grauia et scandalum nobis faciunt!'

5 Ecce maledicti sacerdotes quid dicunt! Ego sto ante eos quasi ouis mitissima, de qua sumunt lanam ad vestiendum et lac ad reficiendum et adhuc pro tanta dilectione abhominantur me. **6** Ego sto ante eos quasi hospes, qui dicit: 'Amice, da michi necessaria vite, quia indigeo, et recipe mercedem optimam a Deo!' **7** Sed ipsi pro ouis simplicitate repellunt me quasi lupum insidiantem ouibus patris familias. Pro hospitalitate confundunt me quasi proditorem indignum hospicio et colligere me renuunt.

8 Sed quid facturus est hospes repulsus? Numquid debet producere arma contra domesticum repellentem se? Nequaquam. Hoc enim non est iusticia, quia possessor sui potest dare et negare sua, cui voluerit. **9** Quid ergo hospes facturus est? Utique tenetur dicere repellenti se: 'Amice, quia tu non vis colligere me, vadam ad alium, qui faciet misericordiam mecum.' **10** Qui, veniens ad alium, audit ab illo: 'Bene venisti, domine mi, omnia mea tua sunt. Tu sis nunc dominus, ego autem volo esse seruus et hospes.' **11** In tali hospicio, ubi ego talem vocem audio, placet michi habitare. Ego quippe sum quasi hospes repulsus ab hominibus sed, licet ubique possum ingredi per potentiam, tamen, dictante iusticia, non ingredior nisi ad eos, qui bona voluntate me tamquam verum dominum, non quasi hospitem, suscipiunt et qui voluntatem suam in manus meas relinquunt."

Verba Matris et Filii benedictionis et laudis adiuicem et de gracia a Filio Matri concessa pro in purgatorio existentibus et in isto mundo manentibus. Capitulum L.

1 Maria loquebatur ad filium dicens: "Benedictum sit nomen tuum, fili mi, sine fine cum deitate tua, que est sine principio et sine fine! In deitate tua sunt tria mirabilia, scilicet potencia, sapiencia et virtus. **2** Potencia tua est quasi ignis ardentissimus, ante cuius faciem omne, quodcumque est firmum et forte, tamquam stramen desiccatum in igne reputatur. **3** Sapiencia tua est quasi mare, quod pre magnitudine hauriri non potest, quod eciam, cum excrescit et effluit, valles et montes operit. **4** Sic sapiencia tua comprehendi et inuestigari non potest. Quam sapienter creasti hominem et constituisti eum super omnem creaturam tuam! Quam sapienter disposuisti aues in aere, bestias in terra, pisces in mari, et unicuique dedisti tempus suum et ordinem! **5** Quam mirabiliter das omnibus vitam et auferas! Quam sapienter insipientibus das sapienciam et auferas a superbis! **6** Virtus tua est quasi lumen solis, quod lucet in celis et terram sua luce replet. Sic virtus tua supera et infera saciat et omnia replet. Ideo sis tu benedictus, fili mi, qui es Deus meus et Dominus meus!"

7 Respondit filius: "Carissima mater mea, verba tua dulcia sunt michi, quia de anima tua procedunt. Tu es quasi aurora procedens cum serenitate. **8** Tu radiasti super omnes celos; lux tua et serenitas tua excessit omnes angelos. Tu attraxisti ad te serenitate tua solem verum, idest deitatem meam, in tantum, quod sol deitatis mee veniens in te fixit se in te, ex cuius calore calefacta es super omnes caritate mea, ex cuius splendore illuminata es plus omnibus sapiencia mea. **9** Tenebre terre fugate sunt et omnes celi illustrati sunt per te. **10** In veritate mea dico, quod puritas tua, que michi super omnes angelos placuit, traxit deitatem meam in te, ut ex calore Spiritus inflammeris, quo Deum verum et hominem in utero tuo conclusisti, quo homo illuminatus est et angeli letificati sunt. **11** Ideo benedicta

sis tu a benedicto filio tuo! Propterea et nulla erit peticio tua ad me, que non exaudiatur, et per te omnes, qui petunt misericordiam cum voluntate emendandi, graciam habebunt. Quia sicut calor procedit a sole, sic per te omnis misericordia dabitur. Tu enim es quasi fons largifluus, de quo misericordia miseris fluit.”

12 Respondit mater iterum filio: ”Omnis virtus et gloria sit tibi, fili mi! Tu es Deus meus et misericordia. A te est omne bonum, quod habeo. **13** Tu es quasi semen, quod non est seminatum et tamen crevit et dedit ex se fructum centesimum et millesimum. De te enim procedit omnis misericordia, que, quia innumerabilis et indicibilis est, bene significari potest in centenario numero, in quo notatur perfeccio, quia a te est omnis perfectus et perfeccio.”

14 Respondit matri filius: ”Vere, mater, bene similasti me semini, quod non seminabatur et tamen crevit, quia cum deitate veni in te et humanitas mea non ex commixtione seminabatur et tamen crevit in te, ex qua omnibus profluxit misericordia. Ideo bene dixisti. Nunc ergo, quia per dulcissima verba oris tui trahis misericordiam a me, pete quocumque vis, et dabitur tibi.”

15 Respondit mater: ”Fili mi, quia misericordiam ego a te consecuta sum, ideo misericordiam et auxilium peto miseris. Quatuor quippe sunt loca. Primus est celum, in quo angeli et sanctorum anime nullo indigent nisi te, quem habent. In te enim habent omne bonum. **16** Secundus locus est infernus, et habitantes in eo impleti sunt malicia et exclusi ab omni misericordia. Ideo nichil ad eos potest amplius intrare de bono. **17** Tercius locus est purgandorum. Ipsi enim indigent triplici misericordia, quia tripliciter affliguntur. Turbantur quippe auditu, quia nichil aliud audiunt nisi dolores pene et miserie. **18** Affliguntur visu, quia nichil vident nisi miseriam suam. **19** Affliguntur tactu, quia sencient calorem ignis intolerabilis et grauis pene. Da eis, Domine mi et fili mi, misericordiam tuam propter preces meas!”

20 Respondit filius: ”Libenter propter te dabo eis triplicem misericordiam. Primo auditus eorum alleuiabitur, visus mitigabitur, pena remissior et micior erit. **21** Insuper, quicumque ab ista hora sunt in summa pena purgatori, venient ad medium. Et qui sunt in media, venient in leuissimam penam. Qui autem sunt in leuissima pena, transibunt ad requiem.”

22 Respondit mater: ”Laus et honor sit tibi, Domine mi!” Et statim mater subiunxit ad filium: ”Quartus locus est mundus et habitatores eius indigent tribus: primo contritione pro peccatis, secundo satisfacione, tertio fortitudine ad faciendum bona.”

23 Respondit filius: ”Omnis, quicumque inuocauerit nomen tuum et spem habet in te cum proposito emendandi commissa, ista tria dabuntur ei, insuper et regnum celeste. Tanta enim est michi dulcedo in verbis tuis, ut non possim negare, que petis, quia nichil aliud vis, nisi quod ego. **24** Tu denique es quasi flamma lucens et ardens, qua luminaria extincta accenduntur et inaccensa conualescent. Sed ex caritate tua, que ascendit in cor meum et attraxit me ad te, reuiuiscent, qui in peccatis sunt mortui, et tepidi, quasi fumus nigri, in caritate mea conualescent.”

Verba benedictionis Matris ad Filium, audiente sponsa, et qualiter Filius gloriosus figurat pulcherrime suam dulcissimam matrem per florem, natum in valle etcetera. Capitulum LI.

1 Mater loquebatur ad filium dicens: "Benedictum sit nomen tuum, fili mi Iesu Christe! Honor sit humanitati tue super omnia, que creata sunt! Gloria sit deitati tue super omnia bona, que est cum humanitate tua unus Deus."

2 Filius respondit: "Mater mea, tu es similis flori, qui creuit in una valle. Circa quam vallem erant quinque alti montes. Et flos ipse creuit de tribus radicibus cum recto hastili, quod nulos habebat nodos. **3** Hic flos habebat quinque folia, plena omni suauitate. Vallis autem excreuit cum flore suo super istos quinque montes et folia floris dilatauerunt se super omnem altitudinem celi et super omnes choros angelorum.

4 Tu, dilecta mater mea, tu es vallis illa propter humilitatem tuam, quam pre aliis habuisti. Hec excessit quinque montes. **5** Primus mons erat Moyses propter potestatem. Ipse enim habuit in lege potestatem super populum meum, ac si fuisset conclusus in pugno suo. Tu autem conclusisti omnium legum dominum in utero tuo. Ideo tu alcior illo monte. **6** Secundus mons erat Helias, qui sic sanctus fuit, quod cum anima et corpore fuit assumptus in sanctum locum. Tu autem, carissima mater mea, anima tua assumpta fuit super omnes choros angelorum ad thronum Dei et cum ea est mundissimum corpus tuum. Ideo tu alcior Helia. **7** Tercius mons erat fortitudo Sampsonis, quam habuit super omnes homines. Tamen vicit eum dyabolus fallacia sua. Tu autem vicisti dyabolum fortitudine tua. Ideo tu forcior Sampsone. **8** Quartus mons erat Dauid, qui fuit vir secundum cor meum et voluntatem meam et tamen cecidit in peccatum. Tu autem, mater mea, sequebaris omnem voluntatem meam et numquam peccasti. **9** Quintus mons erat Salomon, qui fuit plenus sapiencia. Tamen fuit infatuatus. Tu vero, mater mea, plena fuisti omni sapiencia et numquam fuisti insipiens nec decepta. Ideo alcior Salomone.

10 Flos autem prodiit de tribus radicibus, quia tu a iuuentute tua habuisti tria, scilicet obedienciam, caritatem et diuinam intelligenciam. **11** De hiis enim tribus radicibus creuit hastile rectissimum sine omni nodo, idest voluntas tua, que numquam flectebatur nisi ad velle meum. **12** Flos enim iste habuit quinque folia, que excreuerunt super omnes choros angelorum. Vere tu, mater mea, flos istorum quinque foliorum es. **13** Primum folium est honestas tua in tantum, quod angeli mei, qui sunt honesti ante me, considerantes honestatem tuam viderunt eam supra se esse et eminenciem illorum sanctitatem et honestatem. Ideo tu alcior es angelis. **14** Secundum folium est misericordia tua, que tanta fuit, quod, cum videres omnium animarum miseriam, compaciebaris eis et passa es penam in morte mea.

15 Angeli pleni sunt misericordia. Tamen numquam paciuntur dolorem, sed tu, piissima mater, miserta es miseris, quando senciebas omnem dolorem de morte mea et propter misericordiam voluisti magis pati dolorem quam exempta esse ab eo. Ideo misericordia tua excessit omnium angelorum misericordiam. **16** Tercium folium est mititas tua. Angeli quippe mites sunt et cupiunt omnibus bonum, sed tu, mater mea carissima, ante mortem tuam habuisti in anima tua et corpore voluntatem quasi angelus et fecisti omnibus bonum. Et nulli adhuc negas, qui rationabiliter petit suam utilitatem. Et ideo mititas tua excellencior est angelis.

17 Quartum folium est pulchritudo tua. Angeli enim considerant alter alterius pulchritudinem et pulchritudinem omnium animarum et omnium corporum admirantur, sed anime tue pulchritudinem vident esse super omnia, que creata sunt, et corporis tui honestatem excellere omnes homines, qui creati sunt. Et sic omnes angelos et omnia, que creata sunt, excessit pulchritudo tua. **18** Quintum folium erat diuina delectacio tua, quia nichil delectabat te nisi Deus. Sic nec delectat aliud angelos nisi

Deus, et quilibet eorum sentit et senciebat delectacionem suam in se. Cum autem viderunt delectacionem tuam in te ad Deum, videbatur eis in conscientia sua, quod delectacio eorum arderet in eis quasi lumen in diuina caritate. **19** Videntes autem tuam delectacionem esse tamquam ardentissimum rogum, ardente feruentissimo igne et sic alto, quod flamma eius appropinquabat deitati mee. Et ideo, mater dulcissima, bene ardebat delectacio tua diuina super omnes choros angelorum.

20 Hic flos, qui habuit hec quinque folia, honestatem scilicet et misericordiam, mititatem et pulchritudinem et summam delectacionem, erat plenus omni dulcedine. **21** Quicumque autem voluerit gustare suavitatem, debet appropinquare suavitati et recipere eam in se. Sic et fecisti tu, bona mater. Tu enim fuisti sic dulcis patri meo, quod ipse recepit te totam in spiritum suum, et dulcedo tua super omnes placuit ei. **22** Flos eciam portat semen ex calore et ex virtute solis, ex quo crescit fructus. Sed benedictus ille sol, scilicet deitas mea, que suscepit humanitatem de virginis tuis visceribus! Nam sicut semen, ubicumque seminatur, tales flores germinat, quale semen fuerit, sic membra mea conformia fuerunt membris tuis in forma et facie. Tamen ego fui vir et tu virgo femina.

23 Hec vallis exaltata est super omnes montes cum flore suo, quando corpus tuum exaltatum est super omnes choros angelorum cum sanctissima anima tua.”

Verba Matris benedictionis et rogacionis ad Filium, ut verba sua dilatentur per mundum et radicentur in cordibus amicorum suorum, et qualiter ipsa Virgo per florem, in orto natum, mirabiliter designatur. Et de verbis Christi, per sponsam transmissis ad papam et ad alios prelatos Ecclesie.

Capitulum LII.

1 Beata virgo loquebatur ad filium dicens: ”Benedictus sis tu, fili mi et Deus meus et dominus angelorum et rex glorie! Rogo te, ut verba tua, que locutus es, radicentur in cordibus amicorum tuorum et ita firmiter mentibus inharent sicut bitumen, quo archa Noe linita est, quam nec procelle nec venti dissoluere potuerunt. **2** Dilatentur eciam per mundum sicut rami et flores suauissimi, quorum odor late spargitur. Fructificant insuper et dulcescant sicut dactilus, cuius suauitas nimium animam delectat.”

3 Respondit filius: ”Benedicta sis tu, carissima mater mea! Gabriel, angelus meus, dixit tibi: ’Benedicta’, inquit, ’sis tu, Maria, pre mulieribus!’ Et ego perhibeo tibi testimonium, quod tu benedicta et sanctissima es super omnes angelorum choros. **4** Tu es quasi flos in orto, quem licet diuersi odoriferi flores circumstent, tamen ipse omnes excellit in odore, in pulchritudine et virtute.

5 Flores isti sunt omnes electi ab Adam usque ad finem mundi. Qui, in orto mundi plantati, diuersis virtutibus nituerunt et floruerunt, sed inter omnes, qui fuerunt et qui post futuri sunt, tu excellencior fuisti in odore bone vite et humilitatis, in pulchritudine gratissime virginitatis, in virtute abstinentie. **6** Testimonium enim perhibeo tibi, quod tu in passione mea plus fuisti quam martyr, in abstinenzia tua plus quam aliquis confessorum, in misericordia et bona voluntate plus quam angelus. **7** Ideo propter te verba mea radicabo quasi bitumen fortissimum in cordibus amicorum meorum. Dilatabuntur quasi flores odoriferi et fructificabunt quasi dactilus suauissimus et dulcissimus.”

8 Deinde loquebatur Dominus ad sponsam: "Dic amico tuo, ut patri suo, cuius cor est secundum cor meum, quod hec verba conscripta exponat diligenter, et ipse archiepiscopo et postea alii episcopo assignabit. Quibus diligenter informatis postea transmittat ad tertium episcopum. **9** Dic enim ei ex parte mea: 'Ego sum creator tuus et redemptor animarum. Ego sum Deus, quem pre ceteris diligis et amas. Considera et vide, quod anime, quas redemi sanguine meo, sunt quasi anime illorum, qui ignorant Deum, et sunt captiue a dyabolo tam horribiliter, quod in omnibus membris punit eas quasi in prelo arto. **10** Propterea, si vulnera mea tibi sapiunt in animo, si flagellationem meam et dolorem alicuius reputacionis habes, ostende operibus tuis, quantum me diligis!

11 Et verba mea, que proprio ore locutus sum, in publicum venire facias et ad caput Ecclesie personaliter defer! Dabo enim tibi spiritum meum, ut, ubicumque duorum fuerit dissensio, in nomine meo ex virtute tibi data confederare possis, si crediderint. **12** Insuper et ad maiorem euidenciam verborum meorum eorum testimonia tecum ad pontificem deferes, quibus verba mea sapiunt et delectant. **13** Verba enim mea sunt quasi aruina, que, quanto maior calor intus fuerit, tanto cicius liquescit. Ubi autem calor non fuerit, reicitur et non peruenit ad interiora.

14 Sic verba mea sunt, quia, quanto homo plus caritate mea feraens mandit ea et terit, tanto plus impinguatur ex dulcedine celestis desiderii et interni amoris et tanto plus inardescit ad amorem meum. **15** Quibus autem non placent verba mea, quasi aruinam habent in ore. Qua degustata statim eiciunt ab ore et conculant. Sic verba mea ab aliquibus despiciuntur, quia dulcedo spiritualium non sapit eis. **16** Princeps autem terre, quem in membrum meum elegi et vere meum feci, viriliter adiuuabit te et necessaria pro via de bonis bene acquisitis ministrabit tibi.””

Verba Matris et Filii benedictionis et laudis adinuicem et qualiter Virgo figuratur per archam, ubi erant virga, manna et tabule legis, in qua figura multa mirabilia continentur. Capitulum LIII.

1 Maria loquebatur ad filium: "Benedictus sis tu, fili mi, Deus meus et dominus angelorum! Tu es ille, cuius vocem prophete audierunt, cuius corpus apostoli viderunt, quem Iudei et inimici tui senserunt. **2** Tu es cum deitate et humanitate et Spiritu sancto unus Deus. Nam Spiritum audierunt prophete, deitatis gloriam viderunt apostoli, humanitatem tuam crucifixerunt Iudei. Ideo sis tu benedictus sine principio et sine fine!"

3 Respondit filius: "Benedicta sis tu, quia virgo es et mater! Tu es archa illa, que erat in lege, in qua erant tria, scilicet virga, manna et tabule. **4** Cum virga facta sunt tria. Primo mutata est in serpentem, qui erat sine veneno. Secundo per eam mare diuisum est. Tercio de petra educta est aqua. **5** Ego sum virga illa in figura, qui in ventre tuo iacui et humanitatem de te accepi. Ego primo, sicut serpens Moysi, sic terribilis sum inimicis meis. Ipsi quippe fugiunt a me quasi a conspectu serpentis, paudent a me et abhominantur quasi serpentem, cum tamen ego sim sine veneno malicie, plenus omni misericordia. **6** Ego pacior me teneri ab eis, si voluerint, ego reuertor ad eos, si me quesierint. Curro ad eos quasi mater ad filium perditum et inuentum, si me inuocauerint. Exhibeo eis misericordiam meam et dimitto peccata eorum, si clamauerint. Hoc facio eis, et adhuc abhominantur me quasi serpentem.

7 Secundo per virgam istam diuisum est mare, quando via ad celum, que clausa erat per peccatum, per sanguinem et dolorem meum aperiebatur. Tunc certe rumpebatur mare et inuium factum est via,

quando dolor omnium membrorum meorum accessit ad cor et cor pre violencia doloris ruptum est. **8** Postea traducto populo per mare non duxit eos Moyses statim in terram promissionis sed in desertum, ut ibi probarentur et instruerentur. **9** Sic et nunc accepta fide et mandato meo non statim introducitur populus in celum, sed necesse est, ut in deserto, idest in mundo, probentur homines, quomodo diligunt Deum. **10** Sed per tria prouocauit populus Deum in deserto. Primo quia fecerunt sibi ydolum et adorauerunt ipsum. Secundo quia concupierunt carnes, quas habuerant in Egypto. Tercio per superbiam, quando sine voluntate Dei ascendere voluerunt et pugnare cum inimicis.

11 Sic nunc eciam peccat homo contra me in mundo. Primo colit ydolum, quia plus amat mundum et que in eo sunt quam me, qui eorum creator sum. **12** Sed mundus quippe est deus eorum, non ego. Ego enim dixi in euangelio meo: 'Ubi est thesaurus hominis, ibi est cor eius.' Sic thesaurus hominis est mundus, quia ad hunc habet cor suum, non ad me. **13** Ideo, sicut illi in deserto corruerunt gladio in corpore, sic isti cadent in gladio eterne dampnacionis ad animam, in qua sine fine viuent. **14** Secundo peccauerunt per concupiscenciam carnium. Ego enim dedi homini omnia necessaria ad honestatem et ad moderanciam, sed ipse omnia vult habere immoderate et indiscrete. **15** Ipse enim, si sufficeret natura, sine cessacione vellet commisceri, sine refrenacione bibere, sine modo concupiscere. Quamdiu enim posset peccare, numquam cessaret a peccato. **16** Ideo continget eis, sicut illis in deserto, quod morientur subitanea morte. Quid enim est vita istius temporis nisi quasi quidam punctus ad eternitatem? Propterea quasi subitanea morte morientur in corpore propter breuitatem huius vite et viuent in pena ad animam sine fine.

17 Tercio peccabant in deserto per superbiam, quia sine voluntate Dei volebant ascendere in pugnam. Sic homines per superbiam suam volunt ascendere in celum et non confidunt in me, sed in se, facientes voluntatem suam et meam relinquentes. **18** Propterea, sicut illi ab hostibus, sic isti interficiuntur a demonibus in anima, et cruciatus eorum erit sempiternus. Sic ergo odiunt me quasi serpentem, colunt pro me ydolum, affectant concupiscenciam suam plus quam me, diligunt superbiam suam pro humilitate mea. **19** Verumtamen adhuc sic misericors sum, quod, si conuersi fuerint ad me cum contrito corde, ego conuento me ad eos sicut pater pius et suscipio eos.

20 Tercio per virgam istam petra dedit aquam. Petra hec est cor durum hominis. Hoc enim, si percutitur timore et amore meo, statim effluunt lacrime contritionis et penitentie. **21** Nullus sic indignus, nullus sic malus, si vertit se ad me, si passionem meam intime considerat, si potentiam meam attendit, si bonitatem meam, qualiter terra fructificat et arbores, perpendit, quod non fluunt ora eius lacrimis et omnia membra eius ad deuocationem excitantur. **22** Secundo in archa Moysi iacuit manna. Sic in te, mea mater et virgo, iacuit panis angelorum et sanctorum animarum et iustorum in terra, quibus nichil placet nisi dulcedo mea, quibus mundus omnis mortuus est, qui libenter, si esset voluntatis mee, essent sine corporali cibo. **23** Tercio in archa illa erant tabule legis. Sic in te iacuit dominus omnium legum. Ideo benedicta sis tu pre omnibus, que sunt in celo et in terra creata!"

24 Postea loquebatur ad sponsam dicens: "Dic amicis meis tria! Ego, cum corporaliter conuersabar in mundo, sic temperauit verba mea, quod boni fiebant ex ipsis forciores et feruenciores. Mali vero fiebant meliores, ut patuit in Magdalena, Matheo et aliis multis. **25** Sic eciam temperauit verba mea, ut inimici mei non possent infirmare ea. Propterea laborent illi feruenter, quibus verba mea mittuntur, ut boni ex verbis meis fiant ardenciores in bono, mali resipiscant a malo et ab inimicis meis caueant, ne verba mea impedianter. **26** Ego quippe non maiorem iniuriam facio dyabolo quam angelis in celo. Si enim vellem, bene possem loqui verba mea, ut totus mundus audiret. **27** Ego sufficerem eciam aperire

infernum, ut omnes viderent penas eius, sed hoc non esset iusticia, quia tunc homo seruiret michi ex timore, sed ex caritate deberet michi homo seruire. Nam nullus, nisi qui caritatem habet, intrabit in regnum celorum. **28** Tunc denique iniuriam facerem dyabolo, si iuri eius mancipatum reciperem ab eo sine bonis operibus. Angelo in celo eciam facerem iniuriam, si ei, qui mundus est et caritate feruentissimus, spiritus hominis immundi coequaretur. **29** Ideo nullus intrabit in celum, nisi qui quasi aurum in igne purgatorio probatus est aut bonis operibus sic diutina probacione in mundo exercitatus est, quod non sit in eo macula, que beat purgari.

30 Si ignoras, quibus mitti debeant verba mea, ego dicam tibi. Ille dignus est habere verba mea, qui promereri vult operibus, ut veniat ad regnum celorum, vel qui operibus bonis precedentibus promeruerat; illis aperientur verba mea et in illos ingredientur. **31** Nam illi, quibus sapiunt verba mea et qui nomen suum humiliter sperant scriptum in libro vite, hii tenent verba mea. Quibus autem non sapiunt, considerant quidem verba et statim proiciunt et euomunt.”

Verba angeli ad sponsam de spiritu cogitationum suarum, an bonus vel malus sit, et qualiter duo sunt spiritus, scilicet unus increatus et alius creatus, et de eorum qualitatibus. Capitulum LIV.

1 Angelus loquebatur ad sponsam dicens: ”Duo sunt spiritus, unus increatus, alter creatus. Increatus habet tria. Primo est calidus, secundo dulcis, tertio mundus. **2** Primo calefacit, non de aliquibus rebus creatis sed a se ipso, quia ipse cum Patre et Filio est omnium creator et omnia potens. Calefacit autem, quando anima tota ardet ad amorem Dei. **3** Secundo est dulcis, quando anime nichil placet, nichil dulcescit nisi Deus et recordacio operum eius. **4** Tercio est mundus, ut nullum peccatum in eo inueniri possit, nichil deformis, nichil corruptibile et mutabile. Calefacit autem non sicut ignis materialis aut sicut sol visibilis aliquid liquefaciens, sed calor eius est amor internus anime et desiderium, replens et absorbens animam in Deum. **5** Dulcescit eciam anime, non sicut vinum desiderabile aut voluptas vel aliquid aliud mundanum, sed dulcedo illa spiritus incomparabilis est omnibus dulcoribus temporalibus et inexigitabilis non sapientibus illam. **6** Tercio est spiritus ille sic mundus quemadmodum radii solis, in quibus nulla macula inueniri possit.

7 Secundus spiritus, qui est creatus, similiter habet tria. Est enim ardens, est amarus, est et immundus. **8** Primo est ardens et consumens quasi ignis, quia animam, quam possidet, totam incendit igne luxurie et prae cupiditatis, ut anima preter eius explecionem nichil aliud cogitare, nichil desiderare possit in tantum, quod quandoque propter illam amittitur vita temporalis et omnis honor et consolacio. **9** Secundo est amarus quasi fel, quia animam sic sua delectacione inflammat, quod gaudia futura videntur ei esse nulla et bona eterna fatuitas. Omnia quoque, que de Deo sunt et que tenetur ei facere, amarescunt ei et abominabilia sunt ei quasi vomitus et quasi fel. **10** Tercio est immundus, quia animam sic vilem facit et pronam ad peccatum, ut de nullo peccato erubescat et a nullo peccato desisteret, si non plus hominum timeret verecundiam quam Dei.

11 Et ideo est spiritus ille ardens quasi ignis, quia ipse ardet ad iniquitatem et alias secum accedit. Ideo vero amarus, quia omne bonum est amarum ei et aliis secum amarescere vult. Ideo autem est immundus, quia ipse delectatur ex immundicia et alias similes secum querit habere.

12 Sed nunc querere potes et dicere michi: ’Numquid non tu es eciam spiritus creatus sicut ille? Quare ergo tu non es talis?’ **13** Respondeo tibi: vere ego creatus sum ab eodem Deo, quo et ipse, quia non est

nisi unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, et hii non tres dii, sed unus Deus. Et ambo bene creati sumus et ad bonum, quia Deus nichil nisi bonum creavit. **14** Sed ego sum quasi stella, quia in bonitate et caritate Dei, in qua creatus sum, steti. Ipse autem est quasi carbo, quia a caritate Dei discessit. **15** Ergo, sicut stella non est sine claritate et splendore nec carbo sine nigredine, sic angelus bonus, qui est quasi stella, non est sine splendore, idest Spiritu sancto. **16** Omne enim, quod habet, hoc habet a Deo, Patre scilicet et Filio et Spiritu sancto. Huius amore incalescit, huius splendore nitescit et ei iugiter inheret et ad voluntatem eius se conformat nec umquam vult aliud nisi quod Deus. Ideo ardet, ideo et mundus est. **17** Dyabolus autem est quasi carbo deformis, et omnium creaturarum deformior, quia sicut pulchrior erat ceteris, sic deformior aliis deberet fieri, quia creatori suo se opposuit. **18** Sicut autem angelus Dei splendet luce Dei et ardet caritate eius incessanter, sic demon malicia sua semper inardescit et angustiatur. Eius malicia insaciabilis est, sic et bonitas Spiritus sancti et gracia eius inenarrabilis. Nam nullus est in mundo sic radicatus cum dyabolo, cuius cor non quandoque visitet et commoueat spiritus bonus; sic eciam nullus est sic bonus, quem dyabolus non apponit libenter tangere temptatione. **19** Multi quippe boni et iusti temptantur ex permissione Dei a dyabolo. Hoc non est pro malo eorum sed ad maiorem eorum gloriam. **20** Dei quippe Filius, unus in deitate cum Patre et Spiritu sancto, in assumpta humanitate temptatus est. Quanto magis electi eius ad maiorem remuneracionem eorum! **21** Multi eciam boni quandoque in peccata cadunt et obumbratur conscientia eorum fallacia dyaboli, sed virtute Spiritus sancti robustius surgunt et forcius stant. **22** Verumptamen nullus est, qui in conscientia sua non intelligat, utrum suggestio dyaboli ducat ad deformitatem peccati an ad bonum, si diligenter cogitare et examinare voluerit.

23 Ideo tu, sponsa Domini mei, non habes dubitare de spiritu cogitationum tuarum, utrum bonus sit an malus. Conscientia enim tua dicit tibi, que omittenda sunt et que eligenda. **24** Quid autem faciet ille, cum quo plenus est dyabolus? Non enim in eum ingredi potest spiritus bonus, quia plenus est malo. Tria sunt ei facienda, scilicet quod habeat puram et integrum peccatorum confessionem, que, licet in contrito corde non statim poterit esse propter obduratum cor, tamen prodest tantum, quod propter hanc dat dyabolus quasi quandam cessacionem et saltum spiritui bono. **25** Secundo habeat humilitatem, scilicet quod proponat emendare peccata, que commisit, et facere bona, que poterit, et tunc incipit egredi dyabolus. **26** Tercio, ut optineat iterum spiritum bonum, humili prece supplicare debet Deo et conteri de peccatis factis cum caritate vera, quia caritas ad Deum interficit dyabolum. **27** Ipse denique mallet cencies mori, quam homo minimum bonum caritatis exhiberet Deo suo. Sic inuidus et maliciosus est.”

28 Postea loquebatur beata Virgo ad sponsam dicens: ”Sponsa noua filii mei, indue te vestibus tuis, impone tibi monile tuum, idest passionem filii mei!” **29** Cui illa respondit: ”Impone tu, domina mea!” Et illa: ”Ego utique faciam. Ego volo tibi dicere, quomodo filius meus dispositus erat et quare a patribus sic feruenter desiderabatur. **30** Ipse stabat quasi homo in medio duarum urbium intersticio, et vox de prima urbe clamauit ad eum dicens: ’Tu homo, qui stas in media via inter urbes, tu es homo sapiens. Scis enim cauere ab imminentibus periculis. **31** Tu quoque fortis ad paciendum mala incumbencia. Tu es eciam magnanimus, quia nichil times. Nos enim desiderauimus te et expectauimus te. **32** Aperi ergo portam nostram! Inimici enim obsident eam, ne aperiatur.’ **33** Vox de secunda urbe audiebatur dicens: ’Tu, homo humanissime et fortissime, audi querimoniam nostram et gemitum! Nos sedemus in tenebris et patimur famem et sitim intolerabilem. **34** Considera ergo miseriam nostram et penuriam miserabilem! Sumus enim percussi quasi fenum excisum falcastro. Aruimus ab omni bono et defecit omne robur nostrum. **35** Veni ad nos et salua nos, quia te solum expectauimus, te liberatorem nostrum sperauimus! Veni et dissolute penuriam nostram, conuerte planctum nostrum in

gaudium! Tu esto auxilium nostrum et salus! Veni, o dignissimum et benedictum corpus, quod de virgine pura processit!’

36 Has duas voces audiuit filius meus de duabus urbibus, celo scilicet et inferno. Ideo misertus aperuit per amarissimam passionem suam et per effusionem sanguinis sui portam inferni et eripuit amicos suos. Aperuit et celum et letificans angelos introduxit in eum erectos de inferno. **37** Hec, filia mea, cogita et habeto semper pre oculis!”

Qualiter Christus similatur potenti domino, edificanti magnam ciuitatem et optimum palacium, per que mundus et Ecclesia designantur, et qualiter iudices et defensores et laboratores in Ecclesia Dei conuersi sunt in arcum prauum. Capitulum LV.

1 ”Ego sum similis potenti domino, qui edificans ciuitatem imposuit ei nomen ex suo nomine. Deinde construxit in ciuitate palacium, in quo mansiuncule diuerse pro necessariis capiendis erant. Constructo vero palacio et rebus suis ordinatis populum suum disposuit in tres partes dicens: **2** ’Vie mee sunt ad remotas partes. State et laborete viriliter pro honore meo! Constitui enim vobis necessaria vestra et victualia. Habetis et iudices, qui vos iudicent. Habetis defensores, qui vos ab inimicis defendant. **3** Constitui et laboratores, qui vos pascant, et de labore suo decimam partem michi persoluent et utilitati mee et honori reseruabunt.’

4 Interiecto autem aliquo tempore nomen ciuitatis oblitum est. Tunc dixerunt iudices: ’Dominus noster ad remotas partes profectus est. Iudicemus rectum iudicium et faciamus iusticiam, ut redeunte domino nostro non arguamur sed reportemus honorem et benedictionem.’ **5** Tunc dixerunt defensores: ’Dominus noster confidit in nos et reliquit nobis custodiam domus sue. Abstineamus ergo a superfluitate cibi et potus, ne ad pugnam simus inepti! Abstineamus et ab immoderato sompno, ne incauti decipihamur! Simus et bene armati et continue vigilantes, ne venientibus hostibus imparati inueniamur! **6** In nobis enim honor domini nostri maxime pendet et salus populi eius.’ **7** Tunc et laboratores dixerunt: ’Magna est gloria domini nostri et remuneracio eius gloriosa. Laboremus ergo fortiter et demus ei non solum decimam partem laboris nostri sed et, quidquid ultra victum nostrum superfuerit, offeramus ei! Tanto enim gloriosior erit merces, quo maiorem caritatem nostram viderit.’

8 Post hec procedente iterum aliquo tempore obliuioni datus est dominus ciuitatis et palacii. Tunc dixerunt iudices ad se ipsos: ’Longa est mora domini nostri et nescimus, utrum reuertetur an non. Iudicemus ergo secundum voluntatem nostram et, quod nobis placuerit, faciamus!’ **9** Deinde dixerunt defensores: ’Fatui sumus, quia laboramus et nescimus propter quam mercedem. Confederemus nos pocius inimicis nostris, dormiamus et bibamus cum eis! Non enim est curandum nobis, cuius fuerint inimici.’ **10** Postea dixerunt laboratores: ’Quare seruamus aurum nostrum alteri? Et, quis reportet illud post nos, ignoramus. Melius est ergo, ut utamur eo nos ipsi disponendo ad voluntatem nostram. **11** Demus enim iudicibus decimam partem, et placatis eis facere possumus, quod volumus.’

12 Ego vere sum similis illi potenti domino, qui edificaui michi ciuitatem, idest mundum, in quo constitui palacium, idest Ecclesiam. Nomen mundi fuit diuina sapiencia, quia a principio mundus hoc habuit nomen, quod erat factus in diuina sapiencia. **13** Hoc nomen venerabatur ab omnibus, et

laudabatur Deus a creatura sua in sapiencia sua et mirabiliter predicabatur. Nunc autem in hono ratum est nomen ciuitatis et immutatum et accessit nouum nomen, id est humana sapiencia.

14 Iudices enim, qui prius iudicabant in iusticia et in timore domini, nunc conuersi sunt ad superbiam et homines simplices supplantant. Appetunt esse eloquentes, ut habeant laudes hominum, loquuntur placencia, ut obtineant fauores. **15** Verba leuiter ferunt, ut boni et mites vocentur, recipiunt munera, ut peruerant iudicium. Sapientes sunt pro temporali utilitate sua et voluntate propria sed muti pro laude mea. **16** Simplices concilcant sub pedibus et obmutescere faciunt. Cupiditatem suam dilatant ad omnes et de recto faciunt falsum. Hec sapiencia nunc dilitur, mea autem data est obliuioni.

17 Defensores vero Ecclesie, qui curiales et milites sunt, vident inimicos meos et impugnatores Ecclesie mee et dissimulant. Audiunt verba improperii eorum et non curant. **18** Intelligunt et sencidunt opera impugnatorum mandatorum meorum et tamen pacienter ferunt. Aspiciunt eos cotidie licite perpetrare omnia mortalia peccata et non compunguntur sed dormiunt et conuersantur cum eis et alligant se iuramento ad societatem eorum. **19** Laboratores vero, qui sunt communitas tota, respnuunt mandata mea et retinent dona mea et decimas meas. Offerunt dona iudicibus suis et eis reuerenciam exhibent, ut eos beniuolos et placabiles inueniant.

20 Vere audacter dicere possum, quod gladius timoris mei et Ecclesie mee in mundo abiectus est et pro eo assumptus est sacculus pecunie.”

*Verba qualiter Deus capitulum superius immediate dictum declarat et de sentencia contra tales illata
et qualiter Deus ad tempus propter bonos sustinet malos. Capitulum LVI.*

1 ”Dixi tibi prius, quia gladius Ecclesie abiectus est et pro eo assumptus saccus pecunie, qui ex una parte apertus est et ex alia sic profundus, quod, quidquid ingreditur, numquam capit fundum nec umquam impletur. **2** Hic saccus est cupiditas, que omnem modum et mensuram excedit et in tantum inualuit, quod contemptu Domino nichil desideratur nisi pecunia et propria voluntas. **3** Attamen ego sum sicut dominus, qui et pater et iudex est. Cui eunti ad iudicium dicunt circumstantes: ’Domine, procede cicias et fac iudicium!’ Quibus respondit dominus: ’Expectate modicum usque cras, quia forte filius meus adhuc interim emendabit se.’

4 Veniente autem eo altero die, dicunt ei populi: ’Procede et fac iudicium, domine! Usquequo protrahis iudicium et non iudicas nocentes?’ **5** Respondit dominus: ’Adhuc modicum expectate, si filius meus emendet se! Et tunc, si non resipiscet, faciam, quod iustum est.’ **6** Sic ego pacienter suffero hominem usque ad nouissimum punctum, quia et pater et iudex sum. Verumtamen, quia iusticia mea incommutabilis est et quamuis diu protrahitur, tamen aut puniam, si non emendauerint se peccatores, aut misericordiam faciam in conuersos.

7 Dixi eciam tibi prius, quod populum diuisi in tres partes, scilicet in iudices, in defensores et laboratores. Quos enim significant isti iudices nisi clericos, qui diuinam sapienciam verterunt in prauam sapienciam et vanam? **8** Sicut illi clerici solent facere, qui recipiunt multa verba et componunt in pauca – et illa pauca verba sonant idem, quod illa multa –, sic clericci huius temporis receperunt decem mandata mea et composuerunt in unum verbum. **9** Quid est hoc unum verbum? ’Porridge manum et da pecuniam!’ Hec est sapiencia eorum, loqui pulchre et agere male, simulare se meum et

agere nequiter contra me. **10** Ipsi denique pro muneribus peccantes libenter paciuntur in peccatis, simplices exemplo suo precipitant. Insuper eentes per viam meam odiunt.

11 Secundo defensores Ecclesie, idest curiales, sunt infideles. Qui fregerunt promissionem suam et iuramentum et peccantes contra fidem sancte Ecclesie mee et constitutionem libenter tolerant.

12 Tercio laboratores, idest communitas, sunt sicut tauri indomiti, quia habent tria. Effodunt enim terram pedibus, secundo implet se ad saciatatem, tercio complent voluptatem suam iuxta desiderium suum. **13** Sic communitas nunc totis affectionibus inhiat temporalibus. Implet se immoderata gula et vanitate mundi. Complet absque racione carnis sue delectacionem. **14** Sed licet multi sint inimici mei, tamen inter eos multos habeo amicos, quamuis occultos. Sicut dicebatur ad Heliam, qui nullum putabat superesse amicum meum nisi se solum: 'Habeo', inquit, 'septem milia virorum, qui non flectebant genua sua ante Baal', sic ego, licet multi sint inimici, habeo tamen occultos amicos inter eos, qui cotidie plorant, quod inimici mei preualuerunt et quod nomen meum despicunt.

15 Propterea propter preces eorum, sicut rex caritatius et bonus, sciens opera ciuitatis mala, pacienter tolerat inhabitantes et mittit litteras amicis suis, faciens eos cautos de periculo suo, sic ego verba mea mitto amicis meis, que non sic obscura sunt ut Apocalipsis, quem Iohanni ostendi sub obscuritate, ut a spiritu meo in suo tempore, cum michi placeret, explanarentur. **16** Nec ita occulta sunt, ut non annuncientur – sicut Paulus videbat de mysteriis meis, que non licebat loqui –, sed sic aperta sunt, quod omnes tam parui quam magni intelligent, tam leuia, ut omnes, qui velint, possint capere. **17** Ergo amici mei verba mea venire faciant ad inimicos meos, si forte conuertantur, et innotescat eis periculum et iudicium eorum, ut compungantur de factis suis!

18 Alioquin iudicium erit ciuitatis, et sicut interrumperit murus, ubi non relinquitur lapis super lapidem nec in fundamento duo lapides sibi mutuo adhreibunt, sic ciuitati, idest mundo, fiet. **19** Iudices vero ardebunt igne ardentissimo. Nullus autem ignis ardencior est quam qui nutritur aliqua pinguedine. **20** Isti iudices pingues fuerunt, quia plus occasionem habuerunt complendi voluntatem suam, plus aliis excedebat honore et abundancia temporalium, plus aliis habundabant malicia et iniquitate. Ideo in sartagine feruentissima ardebunt.

21 Defensores vero suspendentur in altissimo patibulo. Patibulum enim constat ex duobus lignis erectis et tercio posito ex transuerso ut superliminare. **22** Hoc patibulum cum duobus lignis est pena eorum seuissima, que constat quasi ex duobus lignis. Primo, quod non sperabant premium meum eternum nec pro eo operibus laborabant. **23** Secundum lignum est, quod diffidebant de potentia et bonitate mea, quod non omnia possem nec vellem dare eis ad sufficienciam. **24** Lignum autem ex transuerso est conscientia eorum prava, ex eo videlicet, quod intelligebant bene et faciebant mala nec verecundabantur facere contra conscientiam suam.

25 Funiculus autem patibuli est ignis eternus, qui non extinguitur aqua nec rescinditur forpicibus nec finietur vel rumpetur vetustate. **26** In hoc patibulo, ubi est pena seuissima et ignis inextinguibilis, pendebunt et habebunt confusionem sicut proditores. **27** Sencent miserias, quia fuerunt infideles. Audient obprobria, quia displicerunt eis verba mea. Erit ve in ore eorum, quia laus et honor proprius dulcis fuit eis.

28 In hoc patibulo lacerabunt eos corui viui, idest demones, qui numquam saciantur. Sed nec lacerati consumentur: sine fine viuent cruciati et sine fine viuent cruciatores. **29** Ibi erit ve, quod numquam

finitur, miseria, que numquam mitigabitur. Ve eis, quod umquam nati fuerunt! Ve eis, quod vita eorum prolongata fuerat!

30 Tercio iusticia laboratorum est qualis taurorum. Tauri habent carnem et pellem nimis duram. Ideo iudicium eorum est ferrum acutissimum. Hoc ferrum acutissimum est mors inferni, que cruciabit eos, qui me contempserunt et propriam voluntatem pro mandato meo dilexerunt.

31 Littera igitur, idest verba mea, scripta est. Laborent amici mei, ut ad inimicos meos sapienter et discrete veniant, si forte audire velint et resipiscere. **32** Si autem aliqui auditis verbis meis dixerint: 'Expectemus adhuc modicum, tempus nondum veniet, nondum est tempus eius', ego iuro in deitate mea, que Adam expulit de paradiſo, Pharaoni decem plagas immisit, quod venio eis cicius, quam credunt; **33** ego iuro in humanitate mea, quam de virgine assumpsi sine peccato pro salute hominum, in qua tribulacionem habui in corde, penam sum passus in carne, mortem pro vita hominum, in qua resurrexi et ascendi et sedeo ad dexteram Patris verus Deus et homo in una persona, quod complebo verba mea; **34** ego iuro in Spiritu meo, qui super apostolos in die pentecostes est missus et inflammat eos, ut omnium gencium linguis loquerentur, quod, nisi cum emendacione ad me quasi serui et fragiles redierint, vindicabor in eos in ira mea.

35 Tunc ve erit eis in corpore et in anima. Ve, quia viui in mundum venerunt et in mundo vixerunt. Ve, quia modica fuit eorum voluptas et adhuc illa vana, et cruciatus eorum erit perpetuus. **36** Tunc sencent, quod nunc credere contempnunt, quod verba mea fuerunt caritatis. Tunc intelligent, quod quasi pater monui eos et me noluerunt audire. **37** Ecce, si verbis noluerint credere beniuolencie, credent operibus, cum venerint."

*Verba Domini ad sponsam, qualiter ipse sit in Christianorum animabus cibus abhominabilis et
despectus et per contrarium mundus in eis sit delectabilis et dilectus, et de iudicio terribili contra
tales illato. Capitulum LVII.*

1 Filius loquebatur ad sponsam: "Sic faciunt michi Christiani nunc, sicut Iudei fecerunt michi. Ipsi eiicerunt me de templo et habebant perfectam voluntatem interficiendi me, sed quia nondum venerat hora mea, exiui de manibus eorum. **2** Sic Christiani faciunt michi nunc. Ipsi eiciunt me de templo suo, idest de anima eorum, que templum meum esse deberet, et libenter occiderent me, si possent. **3** Ego sum in ore eorum quasi caro putrida et fetens et videor eis quasi homo loquens mendacium, et nichil curant de me. Ipsi vertunt ad me dorsum et ego ad eos vertam occiput, quia in ore eorum nichil est nisi cupiditas, in carne luxuria quasi iumenti. In auditu eorum placet sola superbia, in visu delectabilia mundi. **4** Passio vero mea et caritas mea est eis abhominabilis et vita mea grauis.

5 Propterea ego faciam sicut animal illud facit, quod multa habet latibula: quod cum persecutum a venatoribus fuerit in uno latibulo, fugit in aliud. Sic ego faciam, quia Christiani persecuntur me malis operibus suis et eiciunt me de latibulo cordis sui. **6** Ideo ingredi volo ad paganos, in quorum ore nunc sum amarus et insipidus, et ero in ore eorum dulcis super mel. Attamen adhuc ita sum misericors, quod, quicumque pecierint veniam et dixerint: 'Domine, ego cognosco me grauiter peccasse et libenter volo me emendare per graciam tuam. Miserere mei propter amaram passionem tuam!', ego gaudenter suscipio eum. **7** Qui autem perstiterint in malo suo, veniam eis quasi gygas, qui habet tria,

scilicet terribilitatem, fortitudinem et asperitatem. **8** Sic ego veniam Christianis terribilis, ut non minimum digitum audeant mouere contra me. Veniam et sic fortis, quod quasi culex erunt ante me. Tercio veniam eis sic asper, quod ve sencent in presenti et ve sine fine.”

Verba Matris ad sponsam et Matris et Filii dulciter adinuicem et qualiter iniquis Christus est amarus, amarior et amarissimus et bonis dulcis, dulcior et dulcissimus. Capitulum LVIII.

1 Mater loquebatur ad sponsam: ”Considera, sponsa noua, passionem filii mei, cuius passio omnium sanctorum passionem in amaritudine superauit. Sicut enim mater, si filium suum viuum incidi videret, amarissime turbaretur, sic ego in passione filii mei visa amaritudine eius turbabar.” **2** Deinde loquebatur ad filium: ”Benedictus sis tu, fili mi, quia sanctus es, sicut cantatur: ’Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.’ Benedictus sis tu, quia dulcis es, dulcior et dulcissimus! **3** Tu sanctus eras ante incarnationem, sanctus in utero, sanctus post incarnationem. Tu eciam dulcis fuisti ante mundi creacionem, dulcior angelis, dulcissimus michi in incarnatione.”

4 Respondit filius: ”Benedicta sis tu, mater, pre omnibus angelis! Sicut enim tibi, ut nunc dixisti, fui dulcissimus, sic malis sum amarus, amarior, amarissimus. **5** Amarus sum illis, qui dicunt me creasse multa sine causa, qui blasphemant me hominem creasse ad mortem, non ad vitam. O misera et insensata cogitacio! **6** Numquid ego iustissimus et virtuosissimus angelos creaui sine racione? Numquid ego tanta bonitate ditassem hominem, si creassem eum ad dampnacionem? Nequaquam. **7** Ego quippe omnia bene feci et ex caritate omne bonum dedi homini. Ipse autem omnia bona vertit sibi in malum, non quod ego aliquid malum fecerim, sed quia ipse homo, cum aliter, quam tenetur secundum diuinam constitutionem, mouet voluntatem suam. Hoc est malum.

8 Hiis autem sum amarior, qui dicunt me liberum arbitrium dedissem ad peccandum et non ad faciendum bonum, qui dicunt me iniustum esse, eo quod alios dampno, alios iustifico, qui imputant michi, quod mali sunt, quia subtraho eis gratiam. **9** Hiis vero sum amarissimus, qui dicunt legem et mandata mea difficillima et neminem posse implere ea, qui dicunt passionem meam eis nichil valere. Ideo et pro nichilo reputant eam. **10** Propterea iuro in vita mea, sicut olim iurabam prophetis, quod excusabo me coram angelis et omnibus sanctis meis, et probabunt hii, quibus amarus sum, me omnia rationabiliter et bene creasse et ad utilitatem et erudicionem hominis nec minimum vermem sine causa subsistere. **11** Hii vero, qui me amariorem habent, probabunt me liberum arbitrium pro bono hominis sapienter dedissem. Scient et me esse iustum, qui bono homini do eternum regnum, malo vero supplicium. **12** Non enim deceret dyabolum qui a me bene factus est et ex malicia sua lapsus, ut cum bono societatem haberet. Probabunt eciam mali homines non esse propter meam culpam, quod ipsi mali sunt sed propter suam culpam propriam. **13** Ego enim, si possibile esset, libenter pro unoquoque homine talem penam exciperem, qualem semel in cruce pro omnibus recepi ad hoc, ut ad promissam hereditatem redirent.

14 Sed homo voluntatem suam semper habet michi contrariam. Cui ideo dedi libertatem, ut seruiret michi, si vellet, et haberet eternum premium. Si autem nollet, haberet supplicium cum dyabolo, propter cuius maliciam et eius sequacium infernus iuste factus est. **15** Ego enim, quia caritatius sum, nolo, ut homo seruat michi ex timore vel coactus quasi animal irrationabile sed ex diuina caritate, quia nullus potest videre faciem meam, qui inuitus seruit michi vel ex timore pene.

16 Illi vero, quibus amarissimus sum, intelligent in conscientia sua legem meam fuisse leuissimam et iugum meum suauissimum et dolebunt inconsolabiliter, quod spreuerunt legem meam et quod dilexerunt magis mundum, cuius iugum est grauius et difficilius multo quam meum.”

17 Tunc respondit mater: ”Benedictus sis tu, fili mi, Deus meus et Dominus meus! Rogo te, ut, quia tu michi fuisti dulcissimus, alii participes fiant dulcedinis mee.” **18** Cui respondit filius: ”Benedicta sis tu, carissima mater! Verba tua dulcia sunt et caritate plena. Ideo quicumque de dulcedine tua in os suum receperit et perfecte tenuerit, proficiet ei. **19** Qui autem receperit et reiecerit, tanto amarius supplicium habebit.” Tunc respondit Virgo: ”Benedictus sis tu, fili mi, pro omni dilectione tua!”

Verba Christi presente sposa, scilicet qualiter Christus per rusticum, boni sacerdotes per bonum pastorem, mali sacerdotes per malum pastorem et boni Christiani per uxorem designentur et figurentur. In qua figura multa utilia continentur. Capitulum LIX.

1 ”Ego sum, qui numquam dixi falsum. Ego reputor in mundo quasi rusticus, cuius nomen videtur contemptibile. Verba mea reputantur fatua et domus mea reputatur tugurium vile. **2** Iste rusticus habuit uxorem, que nichil voluit nisi iuxta voluntatem eius, que possidebat omnia cum viro et habuit eum pro domino suo, obediens ei in omnibus quasi domino suo. **3** Iste rusticus habuit eciam multas oves, ad quarum custodiam conduxit sibi pastorem pro quinque aureis et ut ministraret ei necessaria vite sue. **4** Iste pastor, quia bonus erat, auro utebatur ad utilitatem suam, victualibus ad necessitatem vite. **5** Post istum pastorem transeunte tempore aliquo venit aliis deterior, qui cum auro emit sibi uxorem, ad quam detulit cibaria sua, continue requiescens cum illa, non curans de ouibus, que miserabiliter a bestiis crudelibus dispergebantur.

6 Tunc rusticus, videns dispersionem ouium suarum, clamabat dicens: ’Pastor meus est michi infidelis. Oues mee disperse sunt et a bestiis ferocissimis aliisque deuorate penitus cum corpore et vellere, aliisque mortue sunt, sed corpora incomesta.’ **7** Tunc dixit rustico, viro suo, uxor: ’Domine mi, corpora, que deuorata sunt, certum est, quod non rehabebimus. Ergo corpora illa, que remanent intacta, quamuis sine spiritu sint, deferamus domum et utamur eis! Si enim ex toto caruerimus, intolerabile erit nobis.’ **8** Respondit ei maritus: ’Quid ergo faciemus? Quia animalia venenata erant dentibus, caro ouium similiter infecta est veneno mortifero, pellis corrupta est, lana conglobata in unum.’ **9** Respondit uxor: ’Si omnia maculata sunt et omnia auferuntur, unde tunc viuemus?’ **10** Respondit maritus: ’Ego video in tribus locis viuentes oves. Quedam sunt similes mortuis ouibus, que pre timore non audent respirare. Secunde iacent in luto profundo nec sufficiunt eleuare se. Tercie stant in latebris nec audent procedere. **11** Ergo, uxor mea, veni et erigamus oves, que conantur surgere et sine auxilio non sufficiunt, et utamur eis!’

12 Ecce ego Dominus sum ille rusticus, quia ab hominibus reputor quasi asinus nutritus in cubili suo iuxta modum et mores suos. Nomen meum est sancte Ecclesie disposicio. **13** Hec reputatur contemptibilis, quia sacramenta Ecclesie, scilicet baptismus, crisma, unccio, penitencia et coniugium, recipiuntur quasi pro derisione et dantur aliis pro cupiditate. **14** Verba mea iudicantur fatua, quia verba, que proprio ore loquebar cum similitudinibus, vertuntur de spirituali intelligencia ad corporis alleuiacionem. **15** Domus mea videtur contemptibilis, quia terrena diliguntur pro celestibus.

16 Per pastorem istum primum, quem habui, intelligo amicos meos, scilicet sacerdotes, quos olim in sancta Ecclesia habui, quia per unius vocabulum intelligo plures. Hiis commisi oues meas, id est corpus meum dignissimum sanctificandum et animas electorum meorum gubernandas et defendendas.

17 Quibus eciam dedi quinque bona, preciosiora omni auro, scilicet conscientiam intelligentem super omnia irrationabilia, ut discernerent inter bonum et malum, inter verum et falsum. **18** Secundo dedi eis spiritualium rerum intelligenciam et sapienciam; que nunc oblita est et diligitur pro ea humana sapiencia. **19** Tercio dedi eis castitatem, quarto temperanciam omnium rerum et abstinenciam ad corporis moderationem, quinto stabilitatem in bonis moribus, verbis et operibus.

20 Post istum primum pastorem, id est amicos meos, qui antiquitus erant in Ecclesia mea, subintrauerunt nunc alii pastores iniqui, qui pro auro emerunt sibi uxorem, id est pro castitate et illis quinque bonis assumpserunt sibi feminineum corpus, id est incontinenciam, propter quam spiritus meus discessit ab eis. **21** Quando enim voluntatem completam habent peccandi et saciandi coniugem suam, id est voluptatem suam ad libitum suum, tunc spiritus meus abest ab eis, quia non curant de ouium dampno, si possint voluntatem suam perficere. **22** Oues autem, que ex toto sunt deuorate, illi sunt, quorum anime in inferno sunt et corpora condita in sepulchris expectancia resurrectionem dampnacionis eterne.

23 Oues vero, quarum carnes remanent et spiritus ablatus est, sunt illi, qui nec diligunt nec timent me nec aliqua deuocione et cura afficiuntur circa me. **24** Ab illis enim longe est spiritus meus, quia caro eorum ex venenatis bestiarum dentibus venenata est, id est anima eorum et cogitationes, que designantur in carne ouium et intestinis, sic amara sunt michi et abominabilia ad delectandum in eis quemadmodum caro venenata. **25** Pellis eorum, id est corpus eorum, aridum est ab omni bono et ab omni caritate et nulli usui aptum in regno meo sed tradetur igni perpetuo in inferno post iudicium. **26** Lana eorum, id est opera eorum, sic ex toto inutilia sunt, ut nichil inueniatur in eis, pro quibus caritatem meam et graciam digni sint habere.

27 Quid ergo nunc, o uxor mea, id est boni Christiani, quos in uxore intelligo, faciemus? Ego video in tribus locis viuentes oues. Quedam sunt similes mortuis ouibus, que pre timore non audent respirare. **28** Hii sunt gentiles, qui libenter vellent habere fidem rectam, si scirent quomodo. Sed ipsi non audent respirare, id est non audent pre timore dimittere fidem, quam habent, nec audent recipere rectam.

29 Secunde oues sunt, que stant in latebris nec audent procedere. Hee sunt Iudei, qui stant quasi sub velamine. Qui libenter procederent, si scirent pro certo me natum. **30** Occultant autem se quasi sub velamento, quia in figuris et in signis, que me in lege significabant et in me veraciter completa sunt, sperant salutem et ex illa vana spe timent ad fidem rectam procedere. **31** Tercie oues, que in luto stant, sunt Christiani, in mortalibus peccatis constituti. Ipsi enim propter timorem supplicii libenter surgerent, sed non possunt propter peccata grauia et quia nullam habent caritatem.

32 Ergo uxor mea, id est Christiani boni, iuuate me! Nam sicut uxor et vir una caro et unum membrum esse tenentur, sic Christianus membrum meum est et ego suum, quia ego in eo et ipse in me. **33** Ideo, o uxor, id est boni Christiani, currite mecum ad oues, que adhuc habent spiritum, et erigamus eas et refoueamus! Compatimini michi, quia multum care emi oues! Recipe mecum et ego tecum, tu in dorsum et ego in caput! **34** Gaudenter duco eas inter manus meas. Ego portaui eas omnes semel in dorso meo, quando erat totum sauciatum et stipiti affixum. **35** O amici mei, sic tenere diligo oues istas, quod, si possibile esset adhuc mori propter quamlibet ouem speciali morte, qualem in cruce semel pro omnibus passus sum, magis redimerem quam eis carerem.

36 Ergo clamo ad amicos meos toto corde, non parcant labori pro me, non bonis, et si michi de verbis improperii non parcebatur, dum eram in mundo, non parcant ipsi veritatem loqui de me. **37** Ego non erubui illam contemptibilem mortem pro eis. Ego, sicut natus fui, nudus stabam ante oculos inimicorum meorum. Ego fui percussus cum pugno in dentes, ego tractus in crinibus cum digitis eorum, ego flagellatus flagellis eorum, ego affixus ligno cum instrumentis eorum et pendebam cum furibus et latronibus in cruce.

38 Propterea, amici mei, non parcatis laborare pro me, qui talia sustinui ex caritate propter vos! Laborate viriliter et ferte ouibus indigentibus auxilium! **39** Ego iuro in humanitate mea, que est in Patre, et Pater in me, et per deitatem, que est in Spiritu meo, et Spiritus in ea et idem Spiritus in me et ego in eo et hii tres unus Deus in tribus personis, quod, quicumque laborauerint et portauerint oves meas mecum, occurram eis in media via ad succurrendum et dabo eis stipendum preciosissimum, idest me ipsum, in gaudium sempiternum.”

*Verba Filii ad sponsam de tribus generibus Christianorum, figuratis per Iudeos in Egypto existentes,
et qualiter ista ad sponsam reuelata sunt transferenda et testificanda et predicanda per Dei amicos
personis ignorantibus. Capitulum LX.*

1 Filius loquebatur ad sponsam dicens: ”Ego sum Deus Israel et ille, qui cum Moyse loquebatur. Moyses, cum ad populum meum mitteretur, peciit signum aliquod, dicens: ‘Non credit michi aliter populus.’ **2** Si ergo erat populus Domini, ad quem Moyses mittebatur, quare diffidebat? Sed scire debes, quod in populo illo tria genera hominum erant. **3** Quidam credebant Deo et Moysi. Secundi erant, qui credebant Deo et diffidebant de Moyse, reputantes, ne forte ex adiuuacione propria et presumpcione talia loqui vel facere presumeret. Tercii erant, qui nec Deo nec Moysi credebant.

4 Si nunc tria genera hominum sunt inter Christianos, qui in Hebreis signantur. Aliqui sunt, qui bene credunt Deo et verbis meis. Alii sunt, qui credunt Deo sed diffidunt de verbis meis, quia nesciunt discernere inter spiritum bonum et spiritum malum. Tercii sunt, qui nec credunt michi nec tibi, cum qua verba mea locutus sum. **5** Sed, sicut dixi, licet Hebreorum quidam diffidebant de Moyse, tamen omnes cum eo mare rubrum transierunt in heremum, ubi, qui diffidebant, colebant ydola et prouocauerunt Deum ad iram. Ideo et consumpti sunt misera morte, sed hoc non fecerunt nisi illi soli, qui malam fidem habuerunt.

6 Propterea, quia humanus animus tardus est ad credendum, ideo amicus meus transferet verba mea ad eos, qui credunt ei. Ipsi postmodum diffundent ad alios, qui nesciunt discernere inter bonum spiritum et malum. **7** Si autem audientes pecierint signum, ostendant eis virgam, sicut Moyses fecit, idest verba mea explanent eis. Sicut enim virga Moysi recta erat et terribilis propter immutacionem in serpentem, sic verba mea recta sunt, ut nulla in eis inueniatur falsitas. **8** Terribilia sunt, quia iudicium rectum sonant. Proponant et testificantur, quod ad verbum et sonum unius oris cessit et recessit dyabolus a Dei creatura, qui, nisi potestate mea refrenaretur, eciam mouere posset montes.

9 Qualis tunc eius potencia cum permissione Dei, qui ad unius vocis sonitum fugabatur? Propterea, sicut illi Hebrei, qui nec crediderunt Deo nec Moysi, processerunt de Egypto in terram promissionis quasi coartando se cum aliis, sic nunc multi Christiani quasi inuiti procedent cum electis meis, quia

non confidunt de potencia mea, quod saluare eos possim. **10** Nullatenus credunt verbis meis, falsam spem habent ad virtutem meam. Attamen verba mea sine voluntate eorum complebuntur et quasi artabunt se ad perfeccionem, usquequo veniant ad locum, qui michi placuerit.”